5.

JO. CHRISTOPH. WEINLANDI, JC.

OPUSCULA JURIDICO-PHILOSOPHICA

SIVE

VARIÆ VARII ARGU-
MENTI DISSERTATIONES.

HALÆ MAGDEBURGICÆ
APUD JOHANN ADAM SPOERL.
MDCCXXX.

Vorrede

An den günstigen Leser.

HJer zeiget sich eine abermahlige Probe, wie ich meine Academische Freystunden angewendet, zwar eigne mir nicht zu, dich mit neu ausgesonnenen Meinungen vergnügen zu können, sondern allein, daß ich zu steurung der Wahrheit, vielleicht auch zu derselben Erfin-

dung etwas beyzutragen aufrichtig intentioniret sey.

Die erste Dissertation ist ein problema Juris publici, welches schon vieles Federfechten verursachet, auch das allerhöchste Reichs-Gerichte lange Zeit fatiguiret hat; Dahero der Mühe werth zu seyn gedacht, alles was, zu desselben Entscheidung nützlich, auch bißhero hin und wieder vorgebracht worden zusammen zutragen, an welchen Orte die Sache anzugreiffen, und wie sie decidiret werden könte, jedoch problematice anzuzeigen. Solten also meine Sätze nicht Beyfall finden, so werde mich gerne zu rechte weisen lassen, in Hoffnung, weil ich zu erst diese controvers methodice tractiret, desto eher von cordatioribus entschuldiget zu werden.

Die andere Dissertation belangend, so hat mich die Wichtigkeit der Frage bewogen, dieselbe öffters und mit Behutsamkeit zu überlegen, insonderheit aber dahin zu trachten, wie die Freyheit des Willens eines Theils wieder den heut zu Tag so gemeinen fatalismum gerettet, andern Theils mit der reinen Evangelischen Lehre componiret werden möge, und ich bin vor mich im Hertzen convinciret, den rechten und gewissen Weg gefunden zu haben, woraus ich auch nicht weniges Vergnügen schöpffe; welches sich sehr vermehren würde, wenn des geneigten Lesers Beyfall erhalte; im Gegentheil, wenn ich mit genugsamen Grund solte wiederleget und auf bessere Gedancken gebracht werden, so werde es mit allem Danck erkennen, indessen aber erfode-

fodere, daß ein Leser alle præjudicia beyseit lege, weil in Dingen, die auf die experienz ankommen, dieselbe der Wahrheit am meisten nachtheilig sind.

Ich hoffe übrigens mit ehestem in dem Stande zu seyn, das otium Academicum æstivum zu lieffern. Gehabe dich wohl. Halle, den 6. Jul. 1726.

Series Dissertationum.

I. De Retorsione Juris.

II. Meditationes ad Art. V. §. 28. Instr. Pac. Westph.

III. De efficacia Testamentorum ex Jure Naturæ.

IV. Rechtliches Bedencken von dem alten Reichs-Steuer-Wesen / insonderheit der ohnmittelbahren Reichs-Ritterschafft.

V. Philosophische Betrachtung der menschlichen Freyheit.

DE RETORSIONE JURIS.

§. I.

TRadituro genuinam retorsionis definitionem, ejusque explicationem uberiorem, ante omnia status controversiæ legitime exponendus erit, ideoque moneo, me non acturum I. de retorsione injuriarum, moribus nostris sive æquis sive iniquis introducta. †) neque II. de Talione, quæ delinquenti sæpe imprudentissime & contra pœnarum rationem par malum inferri jubet. ††) neque III. de retorsione Juris iniqui, cujus fundamenta alias e Titulo Pandectarum: Quod quisque juris in alium statuerit, ut ipse eodem jure utatur, petere solent eruditi, de qua infra data opera sermo injiciendus erit; Sed de retorsione ejus juris, quod in variis Provinciis pro libertate Legislatoria varie constitui solet, cujus natura ut evidentius pateat, eruenda res erit e primis fontibus.

 †) in-

† introducta) Graviter enim errant, neque indolem existimationis exacte perspiciunt, hanc retorsionem plane pro irrationali habentes, si abusus tollatur, usui sua constabit ratio, quatenus scilicet per illatæ injuriæ retorsionem intenditur diminutio fidei injuriantis, ex hypothesi vanorum inter homines præjudiciorum necessaria, & ob id ipsum licita.

†† jubet) Consulendus hic omnino Hochstetter de Jure Pœnarum Sect. VII. §. I.

§. II.

Infinita occurrunt in civitatibus negotia, quibus ratio hominum communis, ex eaque fluens naturæ lex normam necessariam †) non præscripsit, & quæ adeo, respectu ad statum civilem habito, pro indifferentibus haberi debent. Sed cum in ejus ordinatione prudentia maximam sibi partem vindicet, geniusque & seculi, & populi, & omnium circumstantiarum sollicite respici debeant, maxima semper incertitudo, actuumque civilium discrepantia inveniretur, nisi esset, qui ex arbitrio prudenti vagam hominum libertatem determinaret, atque ita efficeret, ut unitis viribus & animis ad eundem finem tenderent subditi; Hinc ratio petenda, cur entia moralia in civitatibus diversis tam varia sint, ut quod in una licitum, in altera prohibitum, quod necessarium in hac, in illa arbitrarium sit.

† neces-

† neceſſariam) notanda eſt hæc adjectio, facile enim largior, poſſe in abſtracto pro quovis caſu e regulis honeſti, juſti, adde etiam decori ſatis plauſibiliter differi, ſed ex eo tamen non ſtatim neceſſitas infertur talis, quæ rem in concreto aliter conſtitui prohibeat. Liceat aſſerta declarare exemplo evidentisſimo, quod Dni Thomaſii verbis in Fundam. Jur. Nat. & Gent. L. II. Cap. X. §is propono: tota ſuccesſionis ab inteſtato materia nititur conjecturis, hinc facile patet, quod non ſit difficile homini ingenio prædito in controverſiis ſuccesſiones ab inteſtato reſpicientibus invenire rationes non improbabiles pro utraque parte.

§. III.

Is, cui competit Jus, negotia ſecundum prudentiam civilem, imprimis ea, quæ Jus Naturæ indeterminata reliquit, ſua voluntate definiendi, dicitur Summa Civitatis poteſtas, cujus Natura ex eo conflata eſt, ut cura de mediis, quæ in ſtatu naturali quivis homo pro ſecuritate atque defenſione ſua ſuſcipere poterat, in unum vel hominem, vel collegium ſit translata, addita conventione, ut permitteretur ipſi, quod antea permiſſum erat ſingulis, utque ipſius voluntatem pro uniuerſali norma, ſuaque voluntate habituri ſint ſinguli. †) Igitur hæc ſumma poteſtas indifferentia non tantum definit, ſed jure etiam exigit, ut omnia ſua decreta ſine exceptione a ſubditis approbentur & obſerventur, quippe qui ab initio declararunt, & quo-

 tidie

tidie declarant, se velle, quod Imperans vult, & nolle, quod ei displicet; Hinc si e. g. Princeps edicit, extraneos in Provincia sua hæredes esse non debere, idem est, ac si singuli subditorum declararent, nolle se ad hæreditatem suam extraneos admitti. ††)

† singuli) Notandum est hoc fundamentum Majestatis civilis, e quo prona via commodissime derivari possunt omnia jura Majestatica, imprimis Jus vitæ & necis, quod hactenus e rationibus valde in adæquatis derivatum facile perspicaciores cognoscunt; Cognoscitur autem ejus certitudo e caussa impulsiva Civitatium, de qua pleni sunt Doctorum libelli. conf. imprimis Pufend. de Off. H. & Civ. ad eumque Titius in egregiis Observationibus.

†† admitti) Ex hoc probari potest, Jus Albinagii Juri Naturali non esse contrarium, supposito etiam, quod ex mea sententia supponi debet, testamenta vim ex Jure Nat. accipere; cum enim omnis successio tam ex testamento, quam ab intestato e voluntate morientium pendeat, hi autem per Principem & cum Principe satis declaraverint, extraneos se non instituturos, extranei de injuria, seu de exclusione injusta domini, de re sua disponentis, voluntatem, accusare non possunt.

§. IV.

Sicut autem in statu Naturali ob æqualitatem hominum †) quivis in rebus, libertati suæ per Legem Nat. relictis, pro lubitu arbitrari, adeoque etiam arbitria aliorum imitari, in eosque eadem obser-

vare

vare potuit, quæ contra ipſum alii, ita dubium non eſt, poſſe etiam Summam in civitatibus Poteſtatem aliarum Civitatium in ejusmodi rebus arbitria imitari, & eodem, quo ipſæ, jure uti, etiam erga ipſas, remanet enim eadem inter civitates æqualitas, quæ inter privatos ante conſtitutas civitates fuit, ea tantum differentia emergente, quod in civitatibus omnia momenti publici negotia ſecundum Summæ Poteſtatis voluntatem exigenda ſint, igitur ſicuti liberum eſt degenti in ſtatu Naturæ emtionem rerum ſuarum venalium denegare ei, qui antea idem denegavit ††) ita conſtitutis civitatibus Rectori liberum eſt e. g. a commerciis excludere peregrinos, a quibus antea ſui ſubditi excluſi fuere, aut iis ſuccedendi facultatem in bona ſubditorum ſuorum denegare, quibus ab iſtis eadem prius denegata fuit. †††) atque hoc eſt fundamentum regulæ naturalis, ut quis eodem jure utatur, quod in alios ipſe ſtatuerit. Neque huic libertati obſtat, ſi forſan inter ſe cives alio jure utantur; cum enim de indifferentibus, & ſingulari cujusvis (in ſtatu Naturali) vel Principis (in ſtatu Civili) arbitrio relictis quæſtio ſit, pro injuſto haberi non poteſt, qui hoc jure connato utitur.

† hominum) Cujus fundamentum eſt ratio

 omni-

omnibus communis, e qua eædem obligationes, eademque jura connaſcuntur.

†† denegavit) Quod & juſtitia & æquitate ſalva fieri poteſt, eſt enim quisque rerum ſuarum arbiter.

††† fuit) Conf. §. præc. III.

§. V.

Exercitium ejuscemodi juris dicitur Retorſio, quam ſecundum hactenus dicta jam plenius definire poſſumus, quod ſit exercitium ejusdem juris a Civitate, †) alio alias jure utente, ſuſceptum, contra civitatem eodem antea jure utentem in re indifferenti.

†) Civitate) Jam enim, quod monendus eſt Lector, de Civitatibus tantum ſermo erit.

§. VI.

Fundamentum hujus Juris non eſſe pœnam, quippe quæ ob pactum deficiens, de quo ad §. 3., locum inter Gentes non invenit, nec vindictam, quæ Juris competentis turbationem ſupponit, nec intentionem retinendi in civitate opes civium, ſed æqualitatem naturæ noſtræ, adeoque etiam civitatium, præmiſſa ſatis demonſtrant ſuperque vid. §. IV. neque tamen putandum eſt, ſine ratione ex mera voluntatis deſtinatione hanc æqualitatem intendi, variæ enim ad eam rationes impellere

pellere poſſunt e. g. ne opes civitatis in aliam transeant ſine ſpe reditus, id quod plerumque in ſucceſſionibus, commerciis, Immobilium comparationibus, detractus jure &c. reſpicitur, item ne extranei favorabilioris conditionis habeantur, quam noſtri Cives, quod in executione literarum Cambialium, in materia Uſucapionum, Judiciorum &c. ſe exſerit, interdum intentio eſt, per indirectum, modoque amicabili alterum adigere ad ea, quæ utilia nobis ſunt, concedenda, qualis fuit Electorum in Capitulat. Caroli VI. art. VI. Joſephi art. XIX. opinio, ut adeo nodum in ſcirpo quærant, qui omnia retorſionis Jura ad amuſſim prudentiæ Politicæ, quam ſuaviter ſomniant, metiri, omniaque figmentis ſuis contraria reſecare, vel conformia commendare volunt, ſuo enim officio jam ſatisfecit Imperans, ſi in ejusmodi rebus indifferentibus nihil diſponat prudentiæ contrarium, quia & ipſis non minus ac aliis hominibus libertas relinquenda, e pluribus eligendi, quod placet, ſi forte utrumvis æque civitatis fini inſervit. †) Adhuc turpius ſe dant ††) qui inhumanitatis aut iniquitatis has retorſiones incuſant, uti enim æqualitas iis non læditur, ſed potius obtinetur, ita etiam neque juſtitiæ, neque humanitati vis

infertur earum exercitio, ſuppono enim ſemper negocia, neque Jure Naturæ, neque pactis determinata, in quibus neque connatum, neque acquiſitum jus verſatur, adeoque nec lædi, aut iniquitas committi poteſt.

† inſervit) Hinc etiamſi forte lucri nihil e retorſione in civitatem redundet, ipſa tamen, niſi ab avarisſimis, & ne pedem quidem vel oculos ſine aliqua ſpe lucelli moventibus, imprudentiæ accuſari non poteſt, quia ſufficit, nihil detrimenti per eam inferri, illud enim, quod neque nocet, neque prodeſt civitati, ſalva prudentia & agi & omitti poteſt; Sed audio clamitantem, jus ita incertum, variumque reddi, ſi quæ inter cives communiter obtinent, aliis extra civitatem denegentur. Aſt obſecro a te, ut, ſi placet, incertum caput corrigere velis, perpende quæſo, fingi tantum incertitudinem, inter concives enim idem ſemper obſervatur, erga extraneos idem, quod adverſus nos prius ipſi, ſicut ergo ibi certitudo adeſt, ita etiam hic, ſi, quod ſupponitur, certum ſit, quo extranei in nos jure utantur.

†† ſe dant) Certe, ignorant, quid ſit retorſio, utpote qua æqualitatem tolli putant, cum tamen ab ea ne latum quidem unguem recedatur, an enim læditur æqualitas, ſi quo jure in me uteris, ego in te utar? Neque obſtat, fieri id tamen in odium extraneorum, cum alias inter cives aliud obſervetur. Reſp. Principium peti, fit id potius ad conſervandam æqualitatem, varia ratione obtinendam vid. §. 6. & quid, quæſo, mea intereſt, an expreſſe conſtituas, te alio in me jure uſurum, quam ego in te, an facto id declares? ita etiam civitatis nihil

hil intereſt, an alia civitas in ipſius odium expreſſe aliud quid conſtituat, an vero facto ipſo id oſtendat conf. Voetius ad Tit. Pandect. quod quisque Juris in alium ſtatuerit: qui fere ſolus rem acu tetigi. Neque porro obiicere poteris, minimum hac incertitudine amplam litibus occaſionem ſubminiſtrari, jam enim not. præc. oſtenſum eſt, nullam α) ſubeſſe incertitudinem, & undenam β) probabitur, iniqua ſtatim eſſe, quæ litibus ſeu incertitudini occaſionem, forſan ex accidenti, præbent, jure ſuo utentem nemini injuriam facere non minus vere, quam communiter dicitur.

§. VII.

Sed luculentius ob oculos ponenda ſunt retorſionis requiſita in definitione §. V. comprehenſa, quorum I. eſt, ut civitas, in quam retorſio ſuſcipitur, eodem antea jure uſa ſit; Licet enim forte idem permiſſum fuiſſet, antequam ipſa eo jure uſa eſt, attamen hic actus retorſio dici nequit, quippe quæ antecedentem actum, etiam vi nominis, requirit. II. Ut exerceatur a civitate tota, ſive ex voluntate ejus, qui integram civitatem repræſentat, eſt enim momenti non minimi actus, atque ſpecies Legis vel judicii, quorum facultatem a privatis abdicatam & ſoli Principi collatam eſſe, notum eſt; cæterum uti Leges per facta privatorum, eorumque conſuetudinem poſſunt introduci, ita dubium non eſt, poſſe etiam conniventia Principis

pis a privatis retorsionem sensim sensimque introduci; Forsan ex his principiis resolvi percelebris quæstio posset, an in omnibus, vel in quibusnam casibus jus retorsionis locum habeat? in communi enim doctorum Schola omnia hic incertitudine intricari, numerumque pro lubitu augeri vel diminui, minimum dubitanter ubique definiri videas, cujus exempla Stryckius in integra dissertatione de Retorsione Juris, imprimis Cap. II. §. 18. seqq. Struvius de Vindicta Privata, aliique ad nauseam suppeditant, adeo, ut Strykius in Tract. de Cautelis Contractuum S. I. Cap. IV. num. 3. non vereatur, advocatis reorum pro cautela maxime necessaria commendare, ut, si cum extraneo negocium intercedat, sollicite prius inquirerent, quid juris observetur ejus loci, vnde actor oriundus, & retorsionem, si quid singulare occurrat, urgere possit, non secus ac si a reorum vel Magistratuum arbitrio dependeret, quid in actorem juris observare velint. Igitur mihi dicendum esse videtur, quia retorsio potestatis judiciariæ aut Legislatoriæ pars est, hæc autem arbitrio Summæ potestatis unice subjacet, retorsione aliter uti non licere, nisi in quantum vel expressa vel tacita ejus voluntate permissa sit, id quod etiam experientia satis

ostendit, quo enim alias fine Legislator Brandenburgicus, Saxonicus, aliique in constitutionibus suis expressissent retorsionum species, si earum exercitium Magistratibus illimitatum concedere voluissent. †) Cur quæso in tanta Jurium Topicorum differentia tam rarus conspicitur retorsionum usus, si is unice vel a partibus, vel a Magistratu dependet? Cur, ut unico tantum, illustrissimo tamen, exemplo utar, in Camera teste Lauterbachio in Dissert. de Juribus Singul. Mercat. Jus Albinagii contra Gallos nunquam retorquetur? Igitur in dubio Judex inferior, qui tantum est interpres Legum, non Autor, ultra expressa verba retorsiones extendere non debet, sed si forsan animo ejus scrupulus sedeat, Principis voluntatem exquirat, cujus ab arbitrio dependet Leges latas extendere vel restringere. ††)

† voluissent) verba Constit. Elector. Saxon. P. III. Const. 38. id satis manifeste declarant, quæ hic legisse non pigebit: Obwohl das Jus retorsionis vel talionis simpliciter & absolute nicht statt haben kan/ so ist doch dasselbige nicht allein gut/ sondern auch billich/ wenn es zu Besserung des gemeinen Nutzens dahin gerichtet wird/ daß in bürgerlichen Sachen und Handlungen rechte proportion gehalten werde. Adeoque Serenissimus Legislator retorsiones non absolute, sed pro respectu tantum publicæ utilitatis permisit, cujus autem est cura utilitatis publicæ, nisi solius Principis?

†† restrin-

†† restringere) Certissimum est, salva æquitate quodcunque civitatis in re indifferenti placitum retorqueri posse, ipsas etiam literas moratorias, quod cum Berlichio, Carpzovio contra dissentientium turbam ex ea ratione defendo: Sicuti liberum est, & sine injuria creditorum fieri potest, ut a principe subdito debitori moratoriæ concedantur, ita ex eodem fundamento alii Principi permissum esse debet, suis subditis debitoribus concedere libertatem, solutionem debiti ad certum usque tempus suspendere, in hoc autem vera retorsionis natura consistit; Interim non omnia, quæ licita sunt, expediunt, quod imprimis casui allato de moratoriis applicari potest, neque omnia quæ expediunt certo respectu, Principi statim placent, multo minus statui debent, igitur ad ejus voluntatem unice recurrendum, cujus a nutu dependent omnia.

§. VIII.

III. Requiritur ratione objecti, ut quæstio sit de re indifferenti, id est, quam Jus Nat. non decidit, sed cujusvis proprio arbitrio, atque electioni reliquit, qualia sunt commercandi, succedendi, ex emigrantis bonis aliquid detrahendi, immobilia vendendi, exequendi, Processuum solennia determinandi, vectigal, stapulam exigendi &c. facultas, quæ omnia, uti in statu Naturali a privatorum arbitrio procedebant, ita in civitate Principis arbitrio relicta sunt; Veluti enim e. g. liberum cuivis est, emere & vendere quid velit, ita Princeps potest prohibere, ne vendantur extraneo immobilia, arma, fruges, la-

na &c. vel etiam ne emantur res alibi fabricatæ, textæ &c. quæ autem libere possunt agi, illa etiam multo magis, si prius ab alio Principe acta sunt, reagi & libere retorqueri, id quod a nemine sanæ mentis, reique paululum intento, negari potest; Sed istud ulterius ventilari convenit, an retorsio tantum in casibus indifferentibus obtineat, in hoc enim quis est, qui hactenus oculos intenderit? quis est, qui non vago animo rotunda quadratis commiscuerit, adeoque etiam de ipso Jure incerta omnia locutus fuerit? cujus confusionis fundamentum sine dubio in eo ponendum est, quod naturam retorsionis ex Edicto Prætorio unice judicaverint, quam absurde, infra demonstrabo; Hinc factum est, ut Struvius de Vindicta Privata, Franzius ad Pandectas, Lauterbach, Stryck in Usu Moderno & cit. Dissert. Huber ad Pandectas, Berlichius, Carpzovius, Oldendorpius, Hahnius, Schultesius, Heigius, & qui non? †) jus iniquum pro fundamento supposuerint, atque retorsionem in genere retorsionem Iuris iniqui dixerint, non secus ac si omne Jus novum a Principe vi potestatis Legislatoriæ latum esset iniquum, cujus absurditatis unicum testem Stryckium ex ore omnium loquentem, in cit. Dissert. Cap. II. & per tot. citasse

tasse sufficiat, qui licet d. l. num. 3. seqq. id expressissime asserat, omnemque tractationem huic asserto superstruat, attamen non veretur, Cap. V. num. 21. affirmare; contra literas moratorias non obtinere retorsionem, quia jus iniquum non contineant, cum tamen antea omne Jus novum alteri nocens pro iniquo habuerit, quæ si non apertissima est contradictio, omnes me sensus fallere oportet.

† qui non?) Ipse alias subtilissimus Titius in Observat. ad Schuzii Compend. Lauterb. Tit. quod quisque Juris &c. hunc errorem non evitavit, & num. 4. apertissime repressalias cum retorsione confundit.

§. IX.

Licet autem alias liberum cuique sit, vocabulis usu communi nondum determinatis sensum pro lubitu attribuere, adeoque etiam mihi indicasse sufficeret, me sub retorsionis vocabulo indifferentia tantum complecti, attamen ne nc aturiendi pruritus mihi imputetur, ostendam clarissime, sensum hujus vocabuli communiter ita efferri, planeque aliter intelligi non posse. Igitur omnes in eo convenire arbitror α) retorsionem neque bellum, neque belli speciem aut prodromum esse. β) repressalias a Jure retorsionis esse distinctas. Ast negari nequit α) belli speciem seu prodromum esse, si injuria illata vindicatur

nova,

nova, aut facto simili, ubi autem istud adest, retorsio esse negatur, ergo retorsionis objectum non possunt esse actus contra Legem naturæ commissi, seu injuriæ. β) Repressaliæ conveniunt cum retorsione ratione subjecti activi, passivi, (de quo mox dicam) sæpe ratione finis & effectus, & tamen essentialiter differre, quis dubitat? ergo in objecto differentia est quærenda, quæ alia esse nequit, nisi hæc, quod repressaliæ injuriam stricte dictam, retorsio libertatem naturalem præsupponant, ipsa repressaliarum definitio id ostendit, sunt enim (verbis Hertii in Elem. Prud. Civ. P. I. Sect. VIII. §. 11. utor) executiones violentæ civitatis ob justitiam in causa liquida civibus suis negatam vel elusam ab externa civitate, contra ejus subditos quoscunque; Rotunde Grotius de J.B. & Pac. L. III. Cap. II. §. 4. locum, inquit, habent, ut ajunt Jureconsulti, ubi jus denegatur. Quæso, quæ alia essentialis inter retorsionem & repressalias differentia subesse potest, nisi data, non enim semper personæ in repressaliis sumuntur, sed etiam res, hinc Anglis Withernamium dictæ conf. Grotius l. cit. Evidentius omnia per sequentem casum cognoscentur: denegatum est extraneo debitum in judicio, quod a cive

 pete-

petebat, extranei Princeps justitiam obtenturus alii civi lædentis civitatis itidem denegat debitum, quæritur, an hæc sit retorsio, aut repressaliæ? adest violenta exsecutio ob justitiam denegatam, seu læsiosionem contra Jus Nat. omnia ergo repressaliarum requisita. †) Sed vertemus casum: extraneus successionem ab intestato in judiciis petens repulsam fert, deinde civi in extranei foro idem petenti par pari refertur, an repressalias hic exercitas esse credes? vix puto, nulla enim hic injuria vindicatur, quod cum sensui communi pateat, arbitror me probanda satis probasse. Sed addo tamen γ) sine dubio inter exercitium actus a Jure Natur. indeterminati, & injuriam, adeoque etiam actum isti & huic respondentem magnam esse debere differentiam, cumque repressaliæ hanc sibi vindicandam arrogent, retorsioni præter istos nihil superesse. Duo autem sunt, quæ obstare assertioni meæ video, primo, posse nihilominus repressalias a retorsione distingui, si dicatur, has semper par pari referre, illas sæpe etiam aliud. Secundo, ipsos Legislatores Germanicos retorsioni pro objecto attribuere unbilliche Rechte vid. Constit. Elect. Sax. XXXVII. P. III. Sed Respondeo ad prius, istam differentiam esse cerebrinam, & talem quæ inter-

interdum, non semper occurat, adeoque pro essentiali haberi non possit, id quod e modo data definitione & exemplis probatur, conferatur adductus denegati debiti cassus, cui alium addo: Mercatori Germano contra pacta conventa Parisiis merces adimuntur, & ob restitutionem denegatam idem accidit Gallo in Germania degenti, vel Germanus iter in Gallia faciens carceri insons mancipatur, idem in Germania patitur Gallus, nonne hic adsunt repressaliæ? ego minime dubito, ideoque ad indifferentia & externa tantum refero vindictæ modum, qui pro data occasione vel arbitrio Principis varius esse potest, neque urgeri debet, esse tamen in repressaliis violentiam, secus in retorsione, regero enim, si violentia in sensu latiori sumitur, eam suo etiam modo in retorsione occurrere, si in strictiori nego, violentiam repressaliarum essentiam constituere, de quo data opera mox plenius. Ad posterius moneo, *α*) non ita ipsos Legislatores, sed potius Jureconsultos, præjudicio Legum Romanarum fascinatos ore Legislatorum locutos esse. *β*) Licet in externis denominationibus Leges adeo exactæ non sint, esse tamen in re ipsa, omnia enim exempla, quibus dicto loco retorsio conceditur, casus Jur e Naturæ

 inde-

indeterminatos continent, quod inspicienti patebit. Sed satis de hoc requisito, ad alia pergendum est.

† requisita) Satis ergo mirari non possum, Mevium P. II. Dec. 59. hunc actum pro retorsione habuisse, adeoque ab inferioris judicis arbitrio suspendisse; Si enim hic repressaliæ non occurrunt, quid repressaliæ sint, me ignorare, easque hactenus malo pro vindicatione quadam injuriæ illatæ habuisse, confiteor. Equidem mecum sentit doctissimus Perezius in Prælect. ad L. XI. Cod. Tit. LVI. ubi denegationem debiti reciprocam, item merces iterum ereptas, quem casum etiam in textu attuli, expresse inter repressalias numerat.

§. X.

IV. Requiritur, ut contra eandem civitatem retorqueatur jus antea constitutum. Igitur perinde est, sive contra eundem, qui impetravit primus, sive contra alium exerceatur, jam enim §. 3. probavi, civitatem unam repræsentare personam, & antecedenter approbasse omnia ea, quæ Princeps utilia vel necessaria habiturus sit, igitur etiam contra omnes retorsio locum habet non tantum, quia singuli quasi Autores sunt hujus statuti, sed etiam quia indifferentes casus supponuntur. Quæri hic posset, an etiam retorsio locum habeat contra subditos diversarum quidem Provinciarum, sed uni tamen capiti subjectarum?

rum? & videtur, iniquam eam non fore, ſi exerceri jubeat Princeps, ſicut enim quævis Provincia peculiaribus Legibus uti poteſt, ita etiam Princeps diverſam gerit in iis ferendis perſonam, adeoque retorſioni nihil obſtat. Non tamen temere aut ſine expreſſa Principis voluntate eſt ſuſcipienda, conf. dicta §.7. Denique V. requiritur, ut civitas, quæ retorſione uti vult, alias communiter alio jure utatur, id quod ſine ulteriori commentatione intelligitur.

§. XI.

Poſtquam igitur definitio noſtra ſatis eſt vindicata, ejus ducta affinia jura conſiderari, & legitimis ſingula cancellis includi convenit. Primum iſtorum eſto Retorſio Juris iniqui Romana, quam in Titulo Pandectarum: Quod quisque juris in alium ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur, explicatam deprehendimus. Conſtat nimirum apud omnes, Romanis Prætoribus permiſſum fuiſſe, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi Juris Civilis gratia †) edicta ſeu formulas, ſecundum quas de cauſis ad jurisdictionem ſuam pertinentibus judicaturi eſſent, proponere; fuerunt autem iſta vel generalia vel particularia pro impræviſa caſuum & cauſarum exiſtentia lata, ſemper tamen in res, raro

 in

in personas scribi solita, ne ex amore vel odio judicasse censerentur, atque ita populi opinionem de exacta ipsorum justitia perderent. Cum autem tandem sanctissimi officii limites transgrederentur, sibique etiam contra id, quod in Legibus contineretur, edicendi potestatem arrogarent, actiones & exceptiones pro libidine, proque suæ utilitatis aut ambitionis respectu concedendo, tandem Tribunus Plebis C. Cornelius indignitate rei motus Legem dedit de perpetuis Edictis, itaque gratiam ambitiosis Prætoribus, varie Jus dicentibus, sustulit ††) quam perpetuitatem, ad durationem tantum Magistraturæ restrictam, immutavit deinde Imperator Adrianus per Salvium Julianum, ita ut, quæ ipse e pluribus Prætorum edictis, interpretatione Prudentum, ipsiusque Juliani †††) colligi jusserit, omni tempore sine ulla Prætorum nova approbatione authoritatem haberent immutabilem. ††††) Neque vero putandum, hoc modo Prætoribus omnem potestatem de obvenientibus casibus particulariter edicendi fuisse præcisam †††††) contra eveniebat, ut Magistratus vel prece, vel pretio, vel gratia, vel odio corrupti & exorati actionem dantes, vel exceptionem admittentes, quæ danda, aut admittenda non erat, vel novo

&

& insolito more judicii formulam captiosam præscribentes erubescenda varietate pro arbitrio proprio, jura, justitiamque, quantum in ipsis erat, immutarent, nec minus peccarent, qui per collusionem talia a Magistratibus petebant & impetrabant ††††††) igitur necessitas exigebat, ut contra hanc malitiam novum edictum, quod §. 1. L. 1. ff. h. t. recensetur, promulgaretur hujus sententiæ, ut Magistratus novum †††††††) jus cum effectu dolo malo statuens, & pars id petens ††††††††) quandoque adversario postulante, eodem jure uti deberent, scilicet, ut quod ipsi in alterius persona æquum credidissent, id in ipsorum quoque persona effectum habere paterentur.

† gratia) vid. L. 7. ff. de justitia & Jure. Schubartus de fatis Jurisprud. Rom. Ex. II. §. 84.

†† sustulit) Ascon. Pædianus Argum. in Orat. Cicer. pro C. Cornelio p. 123. conf. iterum Schubartus d. l. §. 87.

††† Juliani) conf. Bertrandus de Jurisperitis L. I. pag. m. 5. seqq.

†††† immutabilem) vid. Jan. Vinc. Gravina de Ortu & Progr. Jur. Civilis Cap. XXXVIII. & Schubartus d. l. §. 87.

††††† præcisam) Minimum id clarissime elucet ex Ulpiani ad Edictum libris, quorum fragmenta hoc titulo exhibentur, quomodo enim de Jure novo, de iniquo & dicto, & impetrato verba facere potuisset, si non receptum fuisset, etiam post

edicti perpetui concinnationem jura nova & iniquæ a Prætore condi. Hoc interim negari nequit, in Albo ea non fuisse publice proposita, utpote cui nisi ex edicto vel secundum id inferi nihil potuit, hinc tralatitia Ciceroni aliisque dicta, sed per collusionem & dolum tantum impetrata, vel statuta.

†††††† impetrabant) Verba retuli Voetii ad Pand. h. t. §. 1.

††††††† novum) Quod etiam iniquum dicitur, ideo, quia quicquid Prætor contra Edicti perpetui tenorem edicebat, Legibus publicis prohibitum, adeoque iniquum fuit. Hæc observatio crassissimi erroris, de quo supra §. 8, natales ostendit, quia enim Doctores nostri omnia Juris Rom. effata Statui nostro applicare nituntur, non sunt ueriti Principum nova edicta iniqua appellare, ideo tantum, quia Prætoria ita appellata fuere, quasi vero Potestate Legislatoria destituerentur Principes nostri, uti Prætores Romani, adeoque novum Jus statuentes, uti hi, inique agerent, qui error æque insanus atque turpis est ac illorum, qui Principes nostri Imperii pro Prætoribus Romanis habent.

†††††††† petens) Cur in Magistratu effectus requiratur, in parte petitio nuda delictum absolvat Ulpianus d. l. 1. §. 2. & Huber in Præl. ad Pand. h. t. egregie indicant.

§. XII.

Forsan autem non præter instituti rationem esset, hoc edictum penitius explicare, sed cui non cantatus hylas, omnem nostram diligentiam præverterunt Huberi, Lauterbachii, Voetii, Schilteri, Struvii &c. quos consulere B. L. potest, & me interim alia persequentem audire.

dire. Dantur enim, quibus omnia ſordent, antiqua, nova, bona cum malis, adeo eos vel novaturiendi, vel inclareſcendi, vel ſcribendi pruritus cepit, ut ſua tantum mirentur, ſibique ſolis ſoli placeant; Nemo itaque miretur, ab ejusmodi hominibus edictum noſtrum maximæ & iniquitatis & abſurditatis accuſari, id unice dolendum, peſſimam cauſam pejorem adhuc defenſionem inveniſſe. Rationes, niſi fallor, hæ producuntur α) quia hoc edictum læſis jura dolo judicis aut partis ablata non reſtituit. β) Pœnam potius talem ſtatuat, quam pro lubitu evitare lædens poteſt, vel quæ morte aut oblivione, vel ſimili adverſarii delicto facile inefficax redditur. γ) quia idem caſus poſtea eveniens facile pro diverſo haberi, adeoque edicti applicatio eludi poteſt. Sed quem adeo fugit ratio, ut non palpare hujus argumentationis fallacias poſſit, quis non perſpicit, ubique connexionis probationem deficere? quis quæſo œconomiæ Juris Romani parumper gnarus riſum tenebit ad hoc argumentum: Quodcunque edictum læſis ablata jura non reparat, illud minime coercet deſtinatum civibus nocendi conſilium, &c. adeoque eſt iniquum? Romani enim ob ordinem, forſan etiam alias rationes circa unam rem

plures sæpe actiones concessere, hinc Imperator in Institutionibus §. 18. de Action. ex maleficiis, inquit, proditæ actiones aliæ tantum pœnæ persequendæ causa comparatæ sunt, aliæ tam pœnæ, quam rei persequendæ & ob id mistæ sunt. Pœnam enim tantam quis persequitur actione furti, ipsam rem propria actione persequitur &c. igitur procederet argumentatio, si præter hanc actionem pœnalem nulla alia læsis concessa. *) si appellatio, si restitutio in integrum ex generali clausula: si qua alia mihi justa causa videbitur, si extraordinaria cognitio. **) si ex lege Aquilia.***) persecutio denegata fuisset, quæ tamen secus omnia se habebant, adeoque id, quod uno remedio ob ordinem non continebatur, aliis multis obtineri, varisque modis coërceri judex injustus potuit. Eadem ad secundam rationem urgeri possunt, quamvis enim facile concedatur, raro huic edicto locum fuisse, sufficit tamen alias obtinuisse pœnas, e. g. contra judicantem per sordes arbitrariam criminis repetundarum ex l. 3. ff. ad L. Jul. repetund. Legis Corneliæ de falsis ex L. 1. §. 2. & 3. ff. ad L. Corneliam de fals. quæ evitari vix potuerunt, adeoque Romani iniquitatis accusari nequeunt, quod præter ceteros, etiam hoc modo coer-

coercendum constituerint judicem male judicantem, imprimis, cum, prout arbitror, in materia contractuum, testamentorum &c. ****) frequentissime fuerint judicum fallaciæ, adeoque in ipsorum persona similis casus facile contingere potuerit, qui retorsioni locum fecit, si non vivo vel læso vel lædente, tamen aliquando in hæredum persona *****) Tertia ratio plane non meretur responsionem, sibillo, quem calamo dignior.

* concessa) ita Jureconsultus Macer l. I. §. 2. ff. quæ sent. sine appellat. rescind. sententias contra jus constitutionis latas ipso jure nullas, contra jus litigatoris appellatione rescindendas esse affirmat. Si dolo adversarii condemnatio vel absolutio secuta continuari priorem actionem, læsoque doli mali exceptione succurri indicat l. 9. ff. de doli mali & met. except. l. 25. ff. de dolo. ita ob reverentiam Præfecto Prætorio exhibendam supplicatione iniquitas sententiæ tolli potest per l. 17. ff. de Minor.

** cognitio) quæ obtinet imprimis, quando litem suam facere dicitur judex, qua id autem ratione fiat, traditur in L. 15. §. 1. ff. de judiciis. Judex tunc litem suam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit, dolo malo autem videtur hoc facere, si evidens arguatur ejus vel gratia vel inimicitia, vel etiam sordes, ut veram æstimationem litis præstare cogatur. Quid? quod etiamsi per imperitiam vel imprudentiam, prout dicitur in l. 6. ff. de extraord. cognit. male judicaverit, quia revera culpam,

vel

vel uti mavult Zieglerus in Dicastice Concl. I. §. 9. dolum commisit, ex Lege Aquilia tamen conveniri posse Gajus in d. l. 6. satis ostendit, quando quasi ex maleficio (culpa per ignorantiam contracta) in factum actione (quæ est Legis Aquiliæ, utpote omnem etiam levissimam culpam vindicantis vid. l. 44. ff. ad Legem Aquil.) & in quantum ea de re æquum religioni judicantis fuerit visum (i. e. præter rei persecutionem etiam pœna potest affici arg. l. 4. §. 1. & 2. ff. de re milit. quæ tamen infamiam, uti in vero dolo, non involvit) pœnam (coërcitionem) sustinere debere scribit. conf. fusius hac de re agentem Dnum Thomasium ad Strauchii Differt. XIX. §. 16. & in Scholiis ad Huberi Prælect. ad Inst. L. IV. T. V. §. 2. Sed ut ad dolum judicis, quem coërcendum sibi sumsit retorsio, revertar, constat, non tantum litem suam facere judicem, si per sordes judicaverit, sed esse insuper sententiam ipso jure nullam, quam tanquam ab antiquo acceptam constitutionem allegant Diocletionus & Maximinianus in L. 7. Cod. quando provocare non est necesse. Igitur actor læsus duplicem habet persecutionem, primo rei ex actione antea competenti, deinde pœnæ. conf. Zieglerus Dicast. Concl. XX. §. 53.

*** Aquilia) vid. not. præc.

**** testamentorum) quorum interpretatio iniqua quot non occasiones subministravit, praxin hujus edicti comprobandi, quod probe perpendendum est, ut de adversariorum contortis ratiociniorum figuris judicare melius queamus.

***** persona) Constat enim ex Oldendorpii Classibus Act. pag. 5. Hubero, Wissenbachio, Voëtio ad h. tit. esse hujus edicti dispositionem active & passive transitoriam, quod iterum notandum contra dissentientes, qui mortuo lædente vel læso

cessare

ceſſare hujus edicti robur turpisſimo errore arbitrantur; ſcilicet etiam evidentisſimæ veritates contorquentur, ignorantur, vel non admittuntur, quando ſimul in animum induximus nova, nova defendere.

§. XIII.

Neque tamen putandum, nullum etiam apud Romanos hujus edicti unquam uſum fuiſſe; quamvis enim ponatur, ex hiſtoria, vel corpore Juris Juſtinianæo nullum afferri poſſe exemplum, praxeos tamen indicium ſatis luculentum foret, quod maximi Romanorum Jureconſulti multo in id labore commentati fuerint, prout de Ulpiano, Cajo, Paulo ſatis teſtantur Leges hoc titulo recenſitæ, ſed nec opus tamen eſt, ut conjecturis pugnemus tam longe petitis, propiores enim adſunt. Idem Jureconſultus Julianus, cujus diligentiæ edictum perpetuum debetur, in legem noſtram commentatus eſt, quod apparet e L. 3. §. 5. h. t. indicio evidentiſſimo *α*) etiam poſt publicatum edictum perpetuum *β*) non ſine uſu hoc edictum fuiſſe. Vim ejus, Valerio teſte L. VIII. cap. 6. expertus eſt, Marcus Licinius, qui cum Lege ſanciviſſet, ne quis Romanorum amplius, quam quinquaginta agri jugera poſſideret, ipſe autem mille comparaſſet, a Marco Popilione in jus vocatus, primus ſua lege cecidit; Ejus

que

que adhuc rigorem minitati sunt Imperatores Diocletianus & Maximinanus in l. 7. Cod. de Rescind. Vendit. Ratas monere semper factas jure venditones, vestra etiam interest, nam si oblito pretio rescindere venditionem facile permittatur, eveniet, ut & si quid Vos de laboribus vestris a fisco nostro vel a privato comparaveritis eadem lege conveniamini, quam vobis tribui postulatis, quibus verbis clarissime praxis hujus edicti evincitur. Sed satis prolixe, & forsan plus satis hisce næniis detergendis insudavimus, alias, qui a nobis probationes exegerit, næ ille ad artem juris nostri plane ineptus, & ad antyciras relegandus est, ut magna hellebori dosi caput male sanum purget. Hoc unicum adhuc commoneo B. L. ut secum probe expendat, concesso etiam non admodum frequentem fuisse hujus edicti applicationem, concesso ulterius eam aliquo modo fuisse imprudentem, ex eo tamen minime sequi, eam fuisse iniquam, longe enim distant a se invicem utilitatis & justitiæ rationes, minimeque confundendæ sunt. Sin e contrario apud te reputaveris, retorsionem ex hoc edicto Magistratus authoritate competiisse contra eum, qui authoritate sua abutebatur, non alio fine, quam ut pres-

so

so pede injustitiam undiquaque sua sequerentur mala, firmiter credo, admodum Te laudaturum & comprobaturum esse hujus edicti æquitatem.

§. XIV.

Utut autem ita satis vindicata videatur hujus retorsionis æquitas, minime tamen cum communi Doctorum Schola censendum est, in ea fundamentum ponendum esse retorsionis adhuc hodie usitatæ, & de qua nobis in præsenti instituto quæstio est, si enim omnia retorsionis requisita supra proposita expendantur, in singulis maxima reperietur differentia, quas omnes Dnus Thomasius in Additam. ad Huberi Præl. ad Pand. h. t. §. 8. tersissime proposuit, simulque monuit, quod ex hoc titulo deducta fuerit hactenus materia retorsionis, ideo factum esse, quia Juris Romani adoratores Auditoribus suis persuadere voluerint, magnum dicti Juris circa quodvis negocium in Germania usum esse, hinc genuina Philosophia omissa, cujus tamen Romani Jureconsulti studiosissimi fuere, quadrata rotundis commiscuerunt, & iis, qui Gentium jure vivunt, jura positiva applicuerunt, quod jam ostendendum est distinctius, fieri autem melius nequit, quam eundo per differentias potissimas, quarum Prima

hæc

hæc esto: Edictum Prætorium supponit cives ejusdem Imperii, prout ex hactenus dictis elucet, nostra retorsio gentes diversas vid. supra §. 10. Secunda: Edictum Prætorium coërcet dolum, nostra retorsio in facto licito versatur vid. §. 8. Hinc Tertia, quod Edictum Prætorium respectu finis sit pœnale, nostra retorsio æqualitatis conservationem tantum respiciat vid. §. 6. &, quæ Quarta est, illi locus non detur, si non antecesserit factum simile, hæc etiam eo non commisso obtineat vid. §. 7. Quinta: Illud retorsionem tantum contra eandem personam approbat, hæc etiam contra aliam e civitate vid. §. 10. Reliquas & speciales differentias, utpote e datis sponte sua fluentes, brevitatis ergo non tangemus, sed observabimus tantum, restare tandem nullam fere utriusque convenientiam, nisi in nomine & rubrica, quæ tamen ex generali regula non aliter intelligenda est, quam secundum nigrum, seu ipsos sub eo propositos textus, adeoque ejus iterum usus appareret nullus, quod si autem putaveris, e rubrica tamen in abstracto considerata posse argumentum ad hodiernam retorsionem sumi, egregium pedantismum commiseris, quis enim quæso ex eo Juris Justinianæi usum deducet, quod sint in eo

quæ-

quædam Juri Nat. conformia, certe ita Turcicum, Malabaricum aliaque jura apud nos etiam vsum habebunt, quis, quæso, Gentibus inter se applicabit, quæ ex peculiari ratione apud Romanos arbitrarie sunt constituta, quis denique ex iis argumentum ducet, quæ alio longe sensu a loquentibus prolata fuere? Verum enim vero ex hac confusione nata est retorsio juris iniqui, ad Romanorum edictum fabricata, & cum eo in omnibus conveniens, nisi quod hæc ad diversas gentes iniquo plane modo fuit extensa, adeo ut hodie fere ignoretur, quid retorsio, quid repressaliæ, toto tamen ab invicem cœlo differentia; Igitur exploso Edicto Prætorio superest, ut secundum sanæ Philosophiæ, unicæ morum inter Gentes regulæ, principia, etiam hæ suis includantur legitimis cancellis.

§. XV.

Ante omnia probe monendus est B. L. non raro evenire, ut in publicis Imperii nostri actis repressaliarum & retorsionis nomina indistincte adhibeantur, cujus rei exempla invenio in Capitulatione Leopoldi art. 9. & Josephi art. 8. Daß Anno 1594. bey damahligen Reichstag verglichenes Gutachten vollzogen, und denen durch gedachte Brabantische Bulle gravierten Ständen auf

erfoderten Nothfall durch das Jus Retorsionis kräfftige Hülffe geleistet werde, add. etiam Capit. Novisſ. Caroli VI. art. XXVII. nemo puto tam ineptus, rerumque gestarum adeo imperitus erit, ut veram hic intelligi retorsionem putet, executiones violentæ Administratorum Brabantiæ, pignorationes, arresta, statuumque contra eos querelæ, comminationes, conventiones aliud longe docent. †) Igitur prudentem decet, de rebus non ex vocabulis judicium ferre, sed inspicere potius ipsam negociorum indolem, non enim semper Principes ex ore Philosophorum loquuntur, sed rei ipsi unice intenti insuper habent curiosam nimis verborum insectationem, nobis autem animus est negociis diversis diversa nomina imponere. E data igitur §. IX. definitione, quæ hic repetenda est, id imprimis elucet, repressaliarum eandem esse causam justificam, quæ bellorum, tantum utraque in executionis modo differre, dum nimirum hæc statum invicem armis concertantium relicta omni pacis obligatione indicent, istæ pacem quoad reliqua illæsam conservent; exigit enim non tantum jus Naturæ absolutum, sed etiam in civitatibus imprimis quietis publicæ ratio, ne statim ob quamcunque læsionem ad extrema, seu ad armorum furorem

rem decurratur, sed demum periclitante salute civium & desperatis lenioribus remediis, hinc fieri solet, ut tentetur primo amicabilis compositio, post, si ea obtineri nequit, durioribus opus est, talibus tamen, quibus non omnia plane commerciorum & humanitatis vincula abrumpuntur. ††) Quia autem spontanea injuriæ illatæ resarcitio abeo denegata est, qui totam repræsentat civitatem, & cujus actus circa regimen publicum, ob præcedens pactum (quo de supra) omnibus subditis imputari possunt, ideo dubium non est, posse læsum violentam restitutionem a quovis subditorum exigere. Modus harum repressaliarum ad externa pertinet, reique essentiam minime ingreditur, hinc vel contra primum lædentem immediate, vel contra alios, vel per arrestum, vel per pignorationem, vel eodem, vel alio violentiæ genere exerceri possunt, quilibet enim in statu naturali vivens arbiter est defensionis suæ, seque conservat, quo potest, quove expedit modo. Hæc generalia repressaliarum principia præmittere volui, ut facilior ad sequentia redderetur aditus, cetera ab instituto remota sunt, & facile vel ex dictis, vel ex aliis suppleri possunt.

† docent) Omnia accumulata & plana invenies, in Recessu Imp. de Anno 1641. §. Nachdem auch die Stånde. notatu autem hoc exemplum eo dignius est, quia ejus Autores terna vice omnes Electores fuerunt.

†† abrumpuntur) Sed simul tamen patet, statim secundum Jus Nat. huic violentiæ locum dari, si injuria ab ipso Principe vel ejus jussu fuerit consilio destinato illata, satis enim certum est, restitutionem sponte non secuturam, adeoque media eam obtinendi ab arbitrio Summi in Republica defensoris unice dependent.

§. XVI.

Conveniunt autem repressaliæ cum retorsione I. in eo, quod neque hæ, neque illæ sine Summi Imperantis jussu aut permissione generali possint exerceri, de hac conf. §. 7. de illis res multo certior est, in civitate enim omnis cura publicæ defensionis, imprimis facultas Juris dicendi in Principem est collata, at repressaliæ illuc eo magis referendæ sunt, quo facilius bello originem dare possunt, utpote cujus initium aut præludium sunt. Hinc bene ad Grotium de Jure B. & Pacis L. III. C. II. §. 7. annotavit Zieglerus & ad Bodinum de Republ. Hertius in dissert. de differ. Jur. in Stat. Nat. & Advent. Sect. II. §. 7. pessime eas vel in totum, vel pro parte privatorum arbitrio adscribi, quamvis enim hic ad Galliæ & Germaniæ, ille ad Atheniensium mores

mores provocet, reſponderi tamen ad primum debet, peſſime e ſtatu Reipublicæ corruptæ, diſſolutæ, morbidæ regulas de Juribus Majeſtaticis peti, & ad ſecundum, ea quæ peculiari conceſſione indigent pro ordinario jure haberi non poſſe, ut adeo non opus ſit ad difficultates haſce reſolvendas cum Vitriario in Inſtit. Jur. Nat. & Gent. pignorationes a repreſſaliis diſtinguere, inter ſe enim differre non poſſunt, quæ definitionibus conveniunt, dicendum potius, Principem aut aliquid de Jure ſuo expreſſe in ſubditos conferre, †) aut tacite, quod fieri forſan cenſetur, ſi debitor fugiat, ſpesque debiti recipiendi non ſit, quo caſu, quia auxilium ab eo haberi nequit in inſtantiſſimo periculo, & juſtitium quaſi momentaneum adeſt, defenſione privata uti ſine dubio licet. An ordinarie Statibus Imperii contra exteros permiſſæ ſint, dubitari videas, mihi reſpondendum videtur, quia Jure belli defenſivi contra exteros gaudent, repreſſaliæ autem ejus ſpecies ſint nobiliſſima, eas ſine dubio iis competere, quod egregio exemplo comprobavit immortali laude digniſſimus Fridericus Wilhelmus apud Pufend. L. XVIII. Rer. Brandenb. §. 10. 11. II. Conveniunt, quod neutra repugnet Juris Naturæ dictatis, quod de retorſione §. 6. de

repressaliis §is asserui, quibus plura addere supervacuum est, nisi quod harum prolixior defensio apud Hertium in d. diss. §. 5. Kulpis. in Colleg. Grot. Exerc. X. §. ult. Vitriarium l. c. aliosque Grotii commentatores inveniri queat. III. Neutra regulariter inter ejusdem Civitatis membra locum habet, quod de retorsione ex dictis §io. & eo satis patet, quia eandem Principis voluntatem sequi debent omnes subditi, omnesque ejus constitutiones sive generales sive speciales publicam & universalem normam efficiant, adeoque actio ei non conveniens pro refractaria & injusta haberi debeat, idque de repressaliis plane extra dubium positum videtur, quis enim in civitate bene constituta subditos sibimet ipsis, ut in statu naturali fieri consuevit, jus dicere, vim adhibere, summa imis miscere, unionemque civitatis evertere posse arbitrabitur? ad quid alias Majestaticum Juris dicendi jus, ad quid Judicum authoritas, ad quid judiciorum ordo, quæ omnia, ubi jus in singulorum manibus est positum, evanescere oportet? Hinc facile applicatio fieri ad Imperium nostrum potest; Licet enim circa interregni istius magni tempora, ob frequentes Imperatorum persecutiones, detestandas Romanæ sedis machinationes, indeque

que ortas dissensiones internas justitia admodum proculcata, consuetudo inolevisset de pignorationibus, in quibus alius pro alio, sive innocens pro nocente prægravabatur ††) attamen restitutis a Maximiliano I. Imperii judiciis & confirmata ex unanimi Statuum voluntate, pace publica, sublatus earum usus necessario censeri debet, id quod non tantum expressæ Imperii Leges testantur, sed ipsa judiciorum summorum ratio jubet, vim enim illicitam Leges & natura vocant, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem ad id constitutum reposcit vid. l. 17. ff. ad L. Jul. de vi priv. Interim variæ dantur hujus prohibitionis exceptiones, quarum nonnullas adduxit Blumius in Processu Camer. Cap. XXXII. & XXXIII. & minima non est, quam Rhetius in Inst. J. Publ. L. II. Tit. 10. §. 1. huic regulæ includit: qua bellum licet inter status Imperii, ea quoque ratione repressalias admittere fas est; quæ regula rationi omnino convenit, cui enim competit id, quod majus est, ei minus denegari regulariter nequit. Ordinarie autem bellorum potestas statibus in status secundum dicta non est concessa, sive justa sint, sive injusta, sed sub iis necessaria defensio ex communi Doctorum sententia non comprehenditur, cum

enim privatis ea certis adhuc casibus sit permissa, cur Principes deterioris statuantur conditionis? potius dicendum, repressalias, quia defensionis species sunt, pro omnino prohibitis haberi non posse †††) transeo ea, quæ in Erklärung des Landfr. de Anno 1500. Art. I. Landfr. zu Augspurg de Anno 1548. §. 7. Cammer-Ger. Ordn. P. III. Tit. XLVIII. & XLIX. disposita sunt, duos tantum adducturus casus, quibus eæ sine dubio permissæ sunt. Primus continetur in novissi. Capitul. Caroli VI. art. 8. es soll auch einem jedweden des heiligen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Stand, welcher sich damit (mit Anlegung neuer Zölle) beschwehret findet, frey und bevorstehen, sich solcher Beschwehrung frey und so gut er kan selbsten zu entheben. verba so gut er kan selbsten ꝛc. adeo clara sunt, ut mea interpretatione non indigeant. Alter est in Instrum. P. Osnabr. art. XVII. §. 5. & 6. in quibus continetur modus, quo dictam pacem violantes coerceri debent; qui plane naturalis & æquissimus est, scilicet primo teneantur omnes ejus transactionis consortes universas & singulas hujus pacis Leges sine religionis distinctione, tueri & protegere, & si quid eorum a quocunque violari contigerit læsus lædentem inprimis quidem a via facti dehortetur, causa ipsa vel

vel amicabili compositioni vel Juris disceptationi submissa. Deinde si neutro horum modorum vel justitiæ vel amicabilis compositionis intra spatium trium annorum terminetur controversia, teneantur omnes & singuli hujus transactionis consortes, junctis cum parte læsa consiliis viribusque arma sumere ad repellendam injuriam, a passo moniti, quod nec amicitiæ nec juris via locum invenerit. Si igitur bellum seu extrema violentia est permissa, quidni repressaliæ, tanquam lenius adhuc remedium, pacemque non penitus abrumpens? Sed elucet e dictis ulterius, α) non permissum tantum esse armis, & multo magis repressaliis uti, sed etiam præceptum & quidem β) omnibus pacis, seu in casu substrato læsæ partis consortibus, qui adeo vnum quasi corpus efficiunt & injurias quasvis sibi singulis illatas putant. γ) Post tentatam per tres annos compositionem amicabilem; Quis igitur extra partium studia positus incusabit Evangelicos, si contra Catholicorum persecutiones immanissimas, nulla ratione, neque precibus, neque justitiæ, neque transactionis, neque comminationis via tollendas, tandem aliquando repressaliis unanimi consensu utantur†††) conf. Vorstellungs-Schreiben des Corporis Evangelici

lici auf Käyserl. Majestät Commiss. Decret de Anno 1720. per totum. ex quo imprimis hæc verba notatu dignissima sunt pag. 13. Wenn das Corpus Evangelicum an etwas (occasione adhibitarum repressaliarum) gegen den Westphälischen Frieden gesündiget hat, so ists wahrhafftig darinnen geschehen, daß es gar zu grosse Gedult, wo nicht ohn Empfindlichkeit bezeugt und zum Exempel in der Untern Pfaltz weit über 100. Kirchen, und mehr als die Helffte der geistlichen Einkünfften rc. unter allerhand Prætexten wegnehmen lassen. Id tantum repressaliis religionis causa susceptis opponi potest, solere iis peti Clericos sæpe innocentes, & qui de injuria Evangelicis in alio plane territorio illata nihil omnino participant, adeoque hoc respectu injustas esse. Sed tenendum est, circa territoria Papicolarum longe aliam Philosophiam, quam in reliquis adhiberi debere, scilicet Clerus universus rempublicam quandam in secularibus quidem rebuspublicis existentem, sed jurisdictioni seculari penitus exemtam formare, adeoque pro corpore quodam unico, separato atque morali, cujus caput Papa est, habendus, hinc quæcunque injuriæ consentiente vel mandante Servo Servorum Romano Protestantibus inferuntur a Clero Romano quo-

quocunque loco, per dicta §. 15. universo corpori imputari, adeoque etiam repressaliis coerceri possunt; Facile autem probari potest, quicquid hactenus Protestantes in terris Catholicorum sustinuerunt, e suggestione aulæ Romanæ, vel minimum ejus consensu per iniquissimas Jesuitarum artes sub & obrepetitie profluxisse; Commonendi itaque Principes sunt, ut miseræ Protestantium conditioni tandem aliquando remediis gravioribus & vulnere dignis succurrant, hortandi sunt, quia subditis ipsorum propriis ob denegatam vel protractam justitiam accessio permittatur ad altius Imperii tribunal, ipsos magis hoc jure gaudere, ut post frustra petitam, semperque denegatam executionem supremorum tribunalium ultimum refugium apprehendere & eligere possint. Denique IV. sæpe etiam cum retorsionibus conveniunt in modo executionis, ita ut ambæ feri possint & contra eundem & contra alios e republica, quid quod non omnis plane violentia a retorsione excludatur, modo secundum supra dicta circa objectum quoddam indifferens versetur, adeoque iterum patet, ad externa tantum pertinere executionis rationem, ita e. g. Sandius L. 1. Tit. XVII. Def. 3. testa-

tur

tur, arrestis regulariter in Frisia locum non esse, nisi adversus eos extraneos, quorum in patria contra Frisios arresta decernuntur, vera hic adest retorsio, quia modus exigendi debitum sive judiciali via, sive via facti secundum Jus Nat. est indifferens, interim tamen, si arrestum adhibetur, violentia subest ††††)

† conferre) quid apud Romanos obtinuerit, docet L. un. C. ne quis vicanorum &c. adeamque Perez in Comment. quid apud Gallos Cujacius ad d. l. in quo autem ex mente Doctorum pignorationes, Anthropolipsiæ & repressaliæ differant, hactenus equidem divinare non potui, nisi quod ex harum definitione colligi queat, istas esse repressaliarum species, adeoque inter se quoad conceptum genericum convenire.

†† prægravabatur) verba sunt Henrici Steronis in Annal. ad Annum 1277. confer prolixe, suoque more elegantissime hasce turbas, contraque eas varia a variis quæsita remedia recensentem Dattium in aureo opere de P. P. L. I.

††† non posse) prout forsan colligi posset e Capit. Caroli VI. art. XVI. verbis; Wir wollen die Justiz nach Innhalt des Instrumenti Pacis beym Cammer-Gericht und Reichs-Hoff-Rath ohnpartheyisch administriren/ auch verfügen lassen/ damit in Rechtshängigen Sachen/ und unter währender litis pendenz kein Stand den andern mit Repressalien/ Arresten und andern wider die Reichs-Satz und Ordnungen/ auch wider den allgemeinen Frieden-Schluß lauffende Thätlichkeiten beschwehre. Equidem e relatis verbis id colligitur, Titii sententiam in specim. Jur.

Jur. Publ. III. XIX. 36. qua, ob consuetum in Germania Processuum & executionum torporem, in caussa justa bellum immortali & inefficaci Processui præferri posse, putat, falsissimam esse, quia omnes Imperii Status sub Electorum nomine Imperatori Jus dedere, propriam vim pendente lite impediendi, adeoque ipsi sine dubio obligati sunt, ne Imperii compages introducta iterum pristina diffidationum licentia plane dissolvatur, verum enim vero insuper notandum, expresse addi, Cæsarem repressalias impedire debere contra Pacem Publicam & Leges Imperii susceptas, adeoque non prohiberi Legibus publicis expresse concessas.

†††† utantur) Singulare exemplum occurrit in historia Brandenburgica, cum enim gravarentur a Domo Neoburgica Evangelici in Ducatu Juliacensi & Bergensi, & Elector Brandenburgicus repressaliis uteretur, tandem utrinque d. 26. April. 1672. conventum est de securitate utriusque religionis, addita clausula, daß wenn solchem Vergleich ins künfftige contraveniret werden solte / der fest haltende Theil sich des Juris retorsionis, biß so lang dasjenige / was neuerlich geschehen / wieder abgeschafft / gebrauchen möge / und daß selbige für kein ohnzuläßiges Gegenmittel von niemanden ausgedeutet werden solte. Certe Imperator huic conventioni nunquam contradixisse legitur, quæ tamen ipsi sine dubio notissima fuit, adeoque consensus ejus præsumendus est. Id tantum iterum moneo, per retorsionem hic veras repressalias intelligi, est enim sine dubio executionis violentæ contra lædentem jura vel subditorum vel sociorum species; est hæc terminorum confusio in Actis Publicis hodie non rara exemplo dictorum in principio §. 15. cujus originem sub finem §. 14. recensui; Hinc etiam cum in controversia sequestrationis Monasterii Hammersle-

mersleben Potentiss. Borussiæ Rex actum hunc, æterna laude dignissimum, primo pro nuda tantum retorsione haberi voluit, tandem autem Corpus Evangelicum sententiam paululum mutasse videtur e cit. Vorstellungs-Schreiben/ cujus verba ob rei gravitatem hic legisse non pigebit, postquam enim dictum, repressalias in republica ordinata vix esse tolerandas, id tamen Evangelicorum factis applicari nequeat, quibus in Legibus Imperii circa religionis gravamina, nullo alio modo tollenda, vis permissa, hæc adjiciuntur: dieses Voraus gesetzt/ will man mit demjenigen/ welchem die Benennung der repressalien beliebet/ keinen Wort-Streit erregen/ sondern ein wenig beleuchten/ ob es denn/ wann man auch zugeben wolle/ repressalien verhängt zu haben/ in Römischen Reich teutscher Nation so gar was ohngewöhnliches seye/ mit repressalien und retorsionen Juris iniqui sich zu schützen/ und ob es etwas so allerdings gefährlich- und ohn-justificierliches seye aus denen Mitteln und Wegen/ welche das Instrumentum Pacis allen und jeden Pacis consortibus so gar ohne alle Ausschliessung an die Hände giebt/ daß auch vis & arma ad repellendam injuriam vor zuläßig erkläret werden/ repressalien oder Retorsiones, als die leidlichste und gelindeste auch am allerleichtesten zu remedieren stehende/ folglich in effectu die ohnschädlichste zu erwählen rc. rc. e quibus non inepte concludi posse videtur, noluisse Status Evangelicos vim Legibus Imperii permissam repressalias appellari, sed retorsiones Juris iniqui, adeo tamen nominis tenaces non fuisse; nobis vero Philosophice loquendum & scapha scapha appellanda erit, neque id injuria fiet, satis enim & ex ipsis Pacis Westphalicæ tabulis probata est harum repressaliarum æquitas, de cætero cuilibet liberum est, vocabulis pro lubitu uti vel abuti.

adest)

††††† adest) addi hoc argumentum superioribus §. 9. potest, quibus asserui, aliam essentialem inter retorsiones & repressalias differentiam non esse, nisi in objecto.

§. XVII.

Quid ergo, inquis, differentiæ superest inter repressalias & retorsiones, quæ in tot capitibus conveniunt? age videbimus. Belli causæ justificæ feruntur turbatio jurium sive connatorum, sive acquisitorum, repressaliæ sunt præludia bellorum, seu magis proprie species per §. 15, adeoque etiam easdem agnoscere causas debent, a bellis autem tantum differunt violentiæ genere, quæ in repressaliis talis esse solet, ut non omne commercium cum gente lædente tollat, interim quia bellum non alia intentione gerendum, nisi ut honestæ Pacis conditiones, atque prior tranquillitas iterum obtineri queat, etiam repressaliarum finis esse alius nequit, nisi læsionis factæ reparatio, firmaque in posterum & plena pacis custodia, hic autem finis, prout ex dictis apparet, hic modus executionis unice ex objecto fluit, igitur differentia specifica repressaliarum a Retorsione in objecto erit constituenda †) adeoque prima & principalis differentia in eo ponenda est, quod retorsio exerceatur ob exercitium actuum similium indifferentium §. 9.

repres-

repressaliæ ob exercitium actuum pactis vel Jure Nat. prohibitorum, adeoque secundo retorsio statim licita est, quam primum alter pro libertate sua aliquid egit per requisitum primum §. 7. repressaliæ autem tanquam remedium extraordinarium amicabilem transactionem prius, sed inani effectu tentatam, supponunt v. §. 15. Tertio illa inter amicos locum habet, quia tendit saltim ad statuendam æqualitatem inter Gentes diversas §. 6. hæ amicitiam læsam, statumque bellicum prærequirunt. Quarto, quia per Naturæ Leges injuriæ illatæ vindicationem quovis honesto modo suscipere licet, ideo in repressaliis permissum est, etiam alium actum perpetrare pro jure obtinendo e. g. ob injuste denegatam justitiam licitum est vexantis subditos prehendere, bonis privare &c. ast in illa æqualitas intenditur, ideoque similis casus expectandus; Hinc Quinto isti omni tempore locus est, non huic. Sexto. illius finis est æqualitas, non præcise, ut corrigatur jus in alia regione receptum, sed ne melioris conditionis sint exteri, quam cives & subditi, harum, ut damnum datum resarciatur, & pax firma maneat. Septimo retorsiones in quocunque reipublicæ statu obtinent, etiamsi utrique parti communis sit judex vid. §. 10.

repres-

repressaliæ autem, quia belli species sunt, regulariter tantum inter eos, qui communi judice destituuntur, adeoque sibi ipsis jus dicere possunt. Octavo. istæ nunquam æqualitati aut humanitati contrariæ sunt vid. §. 6. hæ sæpe externo tantum jure nituntur, i. e. in se consideratæ nimium forsan rigoris habent, sed tamen respectu ejus, qui prior læsit, pro injustis haberi nequeunt, cujus exempla inprimis in bello occurrunt, quando captivi jam in fidem recepti ideo occiduntur, misereque habentur ab eo, cujus subditi ab hoste capti easdem sævitiæ Leges subire debuerunt, ††) item si ob subditum temere occisum alius e patria sontis occiditur, si ob occisum legatum alius legatus innocens in territorio læsi degens occiditur &c. Nono. Jura retorsionum regulariter etiam contra legatos exerceri possunt, manserunt enim revera mittentis subditi, retorsione autem injuria nulla infertur; non autem repressaliæ, licet enim subditi adhuc sint lædentis, attamen speciali conventione & tacita & expressa ab omni violentia admittentis exemti fuere; neque obstat, posse tamen hoc casu ipsum mittentem lædi, facile enim responderi potest, legato ob specialem securitatis promissionem plus forsan juris competere,

D quam,

quam mittenti. Decimo. Quicquid per istam obtinetur, statim vel subditorum, vel fisci est, secus de repressaliis, quarum finis tantum est, justitiæ adimpletio, adeoque ista obtenta ablata restitui debent †††) quod contra Grotium recte monuerunt interpretes L. III. Cap. II. §. 7. n. 3. Undecimo. Quæ per repressalias ablata sunt, ex æquitate ab eo restitui debent, qui istis occasionem dedit, æquum enim est, ut qui mihi sua culpa damnum dedit, id resarciat vid. Grotius l. cit. n. 4. secus in retorsione, nulla enim hic culpa, nulla injuria. Sed in infinitum excresceret numerus, si per omnes differentias ire vellem, facile e penitiori allegatarum consideratione reliquas determinare, mecumque concludere poterit B. L. omnes ex objectorum diversitate prodire.

† constituenda) planissima hæc est demonstratio, si omnia, quæ in repressaliis locum habent, ultimo ex objecti consideratione derivanda sunt, retorsio autem, prout omnes fatentur a repressaliis differt, differentia specifica nullibi, nisi in objecto poni debet.

†† debuerunt) Exempla suppeditant Everhardus Reidanus L. I. Annal. Belg. ad annum 1573. Grotius L. III. Hist. Belg. ad Annum 1593. & L. XII. ad Annum 1603.

††† restitui) facile id etiam colligi potest e natura occupationis Bellicæ, quæ dominium ante factam pacem nunquam addicit ob deficientem ad-

huc

huc domini veri voluntatem & consensum, multo id ergo magis in repressaliis obtinet, interim donec satisfactio sequatur, possessor omnibus veri domini priuilegiis gaudet. Agnoverunt hanc æquitatem Evangelici Status in supra alleg. Vorstellung auf Käyserliches Commiss. Secret.

§. XVIII.

Exantlata pro dignitate generaliori retorsionis consideratione, animus fuit, principia mea ad speciales casus applicandi, totumque thema pro virili exhauriendi, sed cum jam tractatio præter opinionem creverit, temporisque angustia me urgeat, propositum exsequi nequeo, ideo coronidis loco tantum de eo adhuc inquiram, an Statibus Imperii nostri contra se invicem retorsione uti liceat? forsan enim urgeri posset, esse istam vindictæ privatæ speciem, omnem autem vindictam authoritate & institutione Summorum in Germania tribunalium excludi; Sed salva res est, si modo perpendatur, esse retorsionem potestatis Legislatoriæ speciem conf. §. 4. & 7. quæ tamen omnis superioritati territoriali adhæret, hinc tot constitutiones Provinciales, in quibus expressis verbis retorsio inducitur, ab Imperatore sine contradictione confirmatas legimus; Deinde e Capitulationibus e. g. Josephi art. XIX. patet in rebus universum Imperium

tangentibus retorquendi jura Imperatoribus esse commissa, quicquid autem quoad utilitatem totius Imperii Imperatori competit, id jure sibi vindicant, ceteris paribus, Imperii Status in suis territoriis, quippe in quibus Imperatorem repræsentant, neque enim verum est, quod per modum objectionis adduxi, esse retorsionem vindictæ speciem, supponitur enim talis casus, ob quem actioni vel querelæ locus non datur, sed tantum æqualis juris usus prætenditur, vindicta autem proprie sic dicta tum demum adhiberi potest, si de jure competenti aliquid iniquo modo est ablatum. Deinde per judiciorum introductionem ea tantum vindicta est prohibita, quæ belli speciem refert, ast etiam privati in privatos retorsione uti possunt, si Legibus id aliter non est constitutum, cur non Status analoga Majestate gaudentes; nec metuenda hic sunt aliqua in publicam tranquillitatem incommoda, quia omnis abest violentia, vim autem tantum vi repellere solemus, non legitimum juris sui exercitium.

II. Me-

II.
Meditationes ad Artic. V. §. 28. Pacis Weſtphal.

Verba Textus.

LIbera & Immediata Imperii Nobilitas, omniaque & ſingula ejus membra, una cum ſubditis, & bonis ſuis feudalibus & allodialibus, niſi forte in quibusdam locis ratione bonorum, & reſpectu territorii vel domicilii aliis ſtatibus reperiantur ſubjecti, vigore pacis religioſæ, & præſentis conventionis, in juribus religionem concernentibus, & beneficiis inde promanantibus, idem jus habeant, quod ſupradictis Electoribus, Principibus & Statibus competit &c.

I. Memini, dum forte in Inſtrumento Pac. Weſtph. hæc verba perlegerem, Prænobiliſſ. Dnum Graſſium Prof. Tubing. olim in diſſertatiuncula, Theſes Inaugurales Juridicas, Reſpondente Mangoldo ſiſtente, Theſ. III. poſtquam in prioribus verbis prorogabilitatem Jurisdictionis Statuum Imperii in Nobiles Immediatos tam voluntariam, quam neceſſariam aſſeruerat, tandem in hæc verba erupiſſe: Proſtat hanc in rem diſſertiſſimus textus, qui

adducta potentissime suffulcit, ut mirum sit, in hac materia a Scriptoribus nostris, quantum quidem scimus, eum hactenus non fuisse productum, cum prorogabilitatem istius Jurisdictionis satis, superque & admodum notabiliter adstruat in Inst. P. art. V. §. 28. Miratus ipsemet initio, quomodo Vir hic, certe Doctissimus, ignorare potuerit, a multis aliis hunc textum jam in scenam productum fuisse, quos inter tantum nomino Blumium in Proc. Camerali Tit. XXVIII. §. 56. & Hertium, at quantum Jureconsultum, quam notum omnibus, quam commendandum! qui in egregia dissertatione de subjectione territoriali §. 3. subditis minus plene ob textum h. accenset Nobiles Immediatos, bona vel domicilium alibi habentes. Verum enim vero non adeo magni mihi videbatur hæc observatio, etiamsi docere possit, sæpe indecorum, sæpe nocuum esse, non nisi domi sapere; ulterius progrediendum, & sobria meditatione perpendendum duxi, an in Instr. Pacis revera enuncietur, quod prætenditur, & fateor, multa mihi occursasse dubia, animum huc illincque trahentia.

II. Primo enim de prorogabilitate vel per spontaneam subjectionem, vel per delictum ne verbulum quidem, nec etiam ullum

ullum ejus in connexione articuli V. totius vestigium deprehendi, sed tantum de naturalis subjectionis ratione, cujus tamen ab ista differentia infinita est, cum per hanc nihil novi acquirant Status Imperii, nec amittat aliquid de suo jure Imperator, per istam vero contrarium plane efficiatur, adeoque pessima interpretatione corrumpi, inque abusum rapi hunc textum conclusi, cum paciscentium hic ea tantum intentio fuerit, definiendi, quisnam in territoriis nobilium immediatorum habeat Jus sacrorum & reformandi, de reliquis omnibus altum silentium.

III. Secundo animadverti, minime definiri hoc textu, quod subjecti sint aliquibus in locis ratione domicilii vel rei sitæ nobiles Immediati, minime vero id definitur, sed dicitur tantum conditionate: NISI FORTE, IN QVIBVSDAM LOCIS, REPERIANTUR aliis Statibus subjecti. Vides quam omnia verba dubium sonent, quam non sint decisiva, sed id tantum velint; Nobilibus Immediatis Jura sacrorum competant, nisi probatum fuerit, esse eos alicubi subjectos. Ne vero meam interpretationem mysticam voces, aut contortam, retro acta post pacem Religiosam & mediis in tractatibus hujus Pacis Osnabrugensis aspicias velim. Johannes Schilterus in

Libro de Pace Relig. adduxit p. 324. consilium, ex quo egregie patet, qua ratione Status Religioni Pontificiæ addicti Nobilibus Immed. Jura in Pace religiosa acquisita adimere aut imminuere tentaverint, inter alia pag. 330. in f. occurrit, iis qui feuda a Pontificiis habent, objici solere, vasallos ejusdem cum subditis esse conditionis, adeoque jurium circa sacra incapaces, porro pag. 331. Pacem Religiosam tantum esse personæ, non bonis datam, quod ultimum fusius demonstravit Henniges in Medit. ad Instr. Pac. h. §. ex actis gravaminum ab Evangelicis Anno 1645. exhibitorum, hæcque sine dubio causa est, quod in Instr. P. Suecico d. 14. April. 1647. Osnabrugæ exhibito art. XV. & in ultimo Projecto Cæsareo art. X. apud Hoffmannum pag. 104. & 126. loco verborum hujus articuli: VIGORE PACIS RELIGIOSÆ ET PRÆSENTIS CONVENTIONIS, legatur: VIGORE PACIS RELIGIOSÆ ILLIMITATÆ. Ex quo patet Pontificios nobilitati Immediatæ ratione bonorum particularium, quæstionem status movisse, quo nimirum eos sacrorum jure excluderent, sed cum eorum prætensio nec liquida fuerit, nec decidi in hocce pacis negocio potuerit, neque etiam juri Statuum territoriali præter meritum derogare voluerint paciscentes, ideo

eo inserebatur hæc clausula: Nobiles jure sacrorum libere fruantur, nisi reperiatur per documenta legitima, eos alicubi tanquam subjectos considerari debere. Quæ sententia cum & expressis textus verbis innuatur, & e gestorum serie disertissime eruatur, uti firmo stat talo, ita etiam Nobilitati Immediatæ minime nocet, multo minus ab Autore d. diss. adeo detorqueri debuit.

IV. 3. Cum textus mei verba relegerem, incuriam Doctorum magis adhuc miratus sum, neminem scilicet eorum observasse, quam intricata, quam corrupta sint. dicitur: Libera & Immediata Imperii Nobilitas, omniaque & singula ejus membra — nisi forte reperiantur subjecti, quis credat, τὸ subjecti referri debere ad ea quæ præmisi, vel Nobilitatem, vel membra? quænam hæc in Priscianum injuria foret? an præsumendum, adeo ignaros, vel incurios fuisse linguæ latinæ eos, qui I. P. conceperunt? igitur initio arbitratus sum, τὸ subjecti respicere vocabulum SVBDITIS, utpote quod propius antecedit, ut sensus sit: Liberam Nobilitatem jure Sacrorum frui posse una cum subditis suis, nisi hi forte sub alterius status jurisdictione constituti sint, prout non raro usu venit. Confirmatus fui in hac opinione per ver-

ba Inſtr. P. Suecici de Anno 1647. alleg. ibi enim hæc clauſula omiſſa eſt, ejusque loco in fine ſequentia ponuntur: Et quamvis nonnulli eorum ſubditis & Jurisdictione deſtituti fuerint, nihilominus tamen & ii privatim in ſuis prædiis (In ihren Adelichen freyen Schlössern und Häusern, ita locuti ſunt Evangelici apud Henninges cit. l. pag. 436.) tuti per Eccleſiaſticos vicinos religionem libere exerceant, ſive Evangelicam, ſive Catholicam profiteantur; videbatur enim hanc periodum ipſi textui aliis modo verbis inſertam fuiſſe, revera enim, qui jurisdictione deſtitutus eſt Nobilis Immediatus, ejus ſubditi (ſi quos habet) in alieno territorio ſiti ſunt, ideo quoad hos nullum ipſi ſacrorum jus competere poteſt. Denique omnium ſubiit, ſi ponatur τὸ ſubjecti referri debere ad Nobiles Immediatos, ſecuturum, Nobili immediato domicilium in territorio ſubjectionem importante conſtituenti hoc textu exercitium Jurium Eccleſiaſticorum penitus denegari, etiam in terris, quas forte habet, immediatis, cum tamen ſubditum eſſe certo in loco, & in alio immediatum imperii membrum, ibi ſubditi munere fungi, hic domini territorialis juribus frui in Germania noſtra etiam ſecundum

Pacem

Pacem Osnabrug. non sit contradictio. Quamvis autem sua ratione non destituatur hæc conjectura, attamen scrupulum iterum injecere verba Protestantium apud Hennigesium d. l. pag. 437. Pontificiis enim Protestantes in deliberationibus de Pace sequentia dixere: Daß die Frey-ohnmittelbahre Reichs-Ritterschafft an Orten und Ende, da sie respectu certorum bonorum keinen Stand als Landsassen unterworffen, gleich obberührten Churfürsten und Ständen bey dem klaren illimitierten Verstand und Innhalt des Religions-Frieden und dieses Vergleichs vor sich und Ihre gehuldigte Unterthanen gelegen, und Ihnen darüber gantz kein Eintrag gethan werden sollen. Quibus indicari videtur, putasse Paciscentes, esse Nobiles Immediatos ratione certorum bonorum situs aliis Statibus subjectos. Igitur, etiamsi prior conjectura probabilior ob adducta momenta mihi adhuc videatur, tamen nihil definio, sed opto tantum, ut acta Pacem Osnabrugensem concernentia, inque Archivo Per-Illustrium Baronum de Gemmingen latentia tandem aliquando lucem videant, cum enim curam rei Equestris in hoc pacis negocio habuerit Wolffgangus de Gemmingen, dubium non est, ex ipsius Schedis, quæ ab hæredibus sollicite asser-

aſſervantur, plenam huic materiæ lucem affundi poſſe.

V. Quicquid autem de hoc ſit, certum eſt, neutram ex adductis interpretationem obeſſe Immedietati Nobilitatis Imperii conf. num. III. antea enim, quam Jura Sacrorum a Statibus impediri queant, probandum eſt prohibitionis fundamentum, ſcil. ſubjectio territorialis, adeoque repeto, centiesque & millies pronuncio; male ab Autore Theſium ſupra memoratarum pro prorogabilitate ex eo argumentum necti, niſi quidem ab aculo ad angulum argumentari licet, quæſo enim, quomodo conſequentia formari, aut ſi hoc, quæ connexionis ratio dari poteſt? fac modo periculum, certiſſime erubeſces. Verum ita eſt, Lectores, minima Doctorum pars ſolida meditatione res Imperii publicas perpendunt, potiſſimum ii quos monumenta hiſtorica latent, hinc verba venantur, ea premunt, diſcerpunt, lacerant, torquent, quodvis ex quovis, more hæretificum, eliciunt: Optandum ſane foret, in tanta bonarum literarum luce, ne cœcutirent diutius artium cultores, imprimis in rebus tanti momenti, ubi non de glande legenda, aut fumi ſervitute agitur; ante omnia genuinus immedietatis conceptus animo eſt imprimendus, quo ſup-

ſuppoſito de lapſu metuendum non eſt. Sicuti medietas Civium Germanorum in eo conſiſtit, ut agnoſcere teneantur jurisdictionem domini territorialis, ita vi oppoſitorum Immedietas in eo conſiſtere debet, ut non niſi Cæſaris Jurisdictioni pareant, quomodo enim Immediatus dici poteſt, qui perſonaliter alteri ſubjectus eſt, ſeu quod idem ſonat, qui in Criminalibus & Civilibus ad alterius tribunal poteſt vocari. Prodeſt hoc ratiocinium non Nobilitati tantum inferiori, ſed omnibus Imperii Statibus, quæſo enim cur Principes, etiamſi bona in aliorum territoriis habeant, conveniri ſe in civilibus aut Criminalibus non patiuntur, niſi coram Auſtregis, aut Imperii Judiciis, ſi non ob perſonæ ſuæ immedietatem, at æque immediati ſunt noſtri Nobiles, licet impares dignitate, forum autem regulare non a dignitate dependet, ſed a nativa qualitate; hinc vel nudus ſine effectu ſonus eſt Immedietas, vel effectus morales producit, qui vel ſola vocabuli vi perſonam tangunt. Neque vero negatur, poſſe reſpectu certorum bonorum Nobiles alterius Jurisdictioni ſubeſſe, ſed eadem præciſio hic facienda eſt, quæ in ſupra adductis Statuum Evangelicorum & Inſtr. P. l. c. verbis fit, nimirum

ſub-

ſubjecti ſunt ratione bonorum, non ergo ratione alterius cauſæ, delicti, contractus &c. ſed eorum tantum, quæ bona quæſtionis concernunt, & eorum occaſione naſcuntur. Conſtitui quidem omni allegatione in hiſce meditationibus abſtinere, non tamen non poſſum hic ejusmodi paraſitis ob oculos ponere egregia Strauchii in Jure Publ. Cap. XXIX. §. 8. verba: contrarium (ſcilicet, quod Immediati in mere perſonalibus, quando extra limites territorialis domini, in ipſis feudis ſuis Imperialibus, vel etiam in loco tertio ex contractu obligati, ita ut neque tacite, neque expreſſe ad locum Landſasſiatus debitum reſpiciat, ſolius homagii, domino territoriali præſtiti cauſa, in judicio domini territorialis ſtare non teneantur) videtur rationi convenientius & æquius, quia territorialis poteſtas & jusjurandum ſubjectionis terminos ſuos egredi non debent arg. l. ult. ff. de Jurisd. fieretque alias, ut immedietas, qua potiuntur tales perſonæ, plane inutilis eis efficiatur. Unicum hac vice adhuc addo, inconcinnum, planeque inſipiens eſſe, in ejusmodi materiis publici juris provocari ad Leges Juris Juſtinianæi, quaſi vero ad normam Legem Romanarum Status reipublicæ noſtræ publi-

cus

cus post illarum receptionem illico immutatus fuerit. Certe hoc qui faciunt, vel ignorantia Juris publici patrii crassa laborant, vel malæ causæ inserviunt, ad quam sustinendam, ebriorum more, omnia arripiunt.

VI. Superest, ut quisnam subjectionem Nobilis Immediati respectivam, qua de hactenus sermonem fecimus, & quam textus noster ex mente plurimorum pro conditione ponit, probare debeat, paucis investigemus. In confesso autem apud omnes, & ante oculos positum est, maximam Nobilitatis Immediatæ partem esse ab istiusmodi nexu liberam, ejus Immedietatem per tot Imperii Recessus, per tot Imperatorum diplomata, per omnes Capitulationes, per ipsam denique Pacem Westphalicam h. l. generaliter esse agnitam, adeoque si alicui ex ejus corpore subjectio opponitur, sine dubio singulare, a regula deflectens, parum commune allegatur, sed singularia sunt facti, judici qua tali ignoti, an negans probabit, an affirmans? pro negante non tantum præsumtio, quod ordinaria, frequentia adesse credantur, sed & possessio militat, probet ergo affirmans; Novi quidem sæpe inverti Processus ordinem, & Nobiles affirmare, se esse immediatos, Principes negare,

gare, ſed eædem ſemper militant rationes, Nobilis quidem ſe fundat in facto, ſed notorio, communi, vel ſi mavis magis communi, ac Principis eſt, pro eo ergo militat præſumtio, præſumtio onus probandi rejicit in adverſarium. Dicis, negantis probationem non eſſe. Reſp. utique abſolute negantis, dum autem hic negat Princeps, eo ipſo affirmat, Nobilem vel ſemper fuiſſe mediatum, ſeu ſubditum, vel factum eſſe talem, uterque caſus minus eſt frequens, uterque ex hiſtoria deducendus, hiſtoria eſt facti, factum debet probari. Inſtas, immedietatem etiam eſſe facti, ergo ab allegante probandam. Reſp. Revolvenda ſunt, quæ modo dixi, & ut eo clarius pateant, illuſtrationem e noſtro textu P. Weſtph. addam, dicitur enim ibi α) generaliter, Liberam & Immediatam Imperii Nobilitatem gaudere jure reformandi, quæ propoſitio deinde β) limitatur in iis (probe notes, me hic ex hypotheſi adverſariorum concludere) qui alio reſpectu ſunt Landſaſſii; Limitatio eſt reſtrictio regulæ, reſtrictio pauciores caſus ſub ſe complecti debet ac regula, regula per ſe eſt clara, quia in textu fundata, reſtrictio rationibus ut ſuſtineatur, quia a regula deflectit, opus eſt, rationes conſtituunt probationem, ergo Nobiles Immedia-

medietatem allegans in regula, quæ utpote per se clara, probari non debet, Princeps eam negans in restrictione regulæ se fundat, hinc quod & Jura Naturalia & Civilia & indubitata totius orbis praxis requirunt, probare debet Princeps negans. Tentavit quidem Tubingæ nonnemo, probandi onus alia via in Nobilitatem transferre, negando scilicet in Imperio nostro ullam terram esse immediatam, quo id obtineri posse arbitratur, ut pro exemtione nulla amplius militet præsumtio, non enim magis pro Nobili Suevico præsumi, quam pro Saxonico, quia utrumque territorium par sit. Equidem certum est, divisionem Imperii in Provincias mediatas & immediatas merum esse commentum hominum otiosorum facti veritate non inspecta quidvis pro lubitu fingentium, satisque mihi absurdum videtur, arripi a nonnullis ficulneum hoc fundamentum ad propugnanda Nobilitatis Immediatæ jura, quo consilio perniciosius non datur, subruto enim eo, uti sane facillime subrui potest, & a multis jam solidissime est confossum, omnia Nobilitatis jura ruinam pati necessum est. Egregie fundata est Immedietas Equestris in historia temporum, ut non opus habeat peregrinis, fictisque subsidiis. Igitur ad propositam difficultatem respondetur,

 con-

concedendo huic vel illi Principi, & Statui ſuum territorium, ſuos ſubditos in ipſius Ducatu, Comitatu, Epiſcopatu, diſtrictu incluſos, ſed quia tamen ex propria Autoris confeſſione nec ulla terra in totum mediata datur, ſane e territorii reſpectu plane nihil poteſt concludi, ſemper enim urgebitur, terram immediatam mediatæ eſſe intermixtam, & dubium manet, an hocce prædiolum ſit de territorio Principis &c. an Imperatoris, ubi Imperatoris territorium incipit, ibi deſinit Statuum, & ubi incipit Statuum, ibi Imperatoris eſſe deſinit, minime ergo omnium præſumtio e ſolo terræ reſpectu capi poteſt, ſed ad alia momenta eundum, & videndum eſt, cujusnam aſſertum frequentiori uſu & quaſi notorietate ſuffulciatur, ſive quodnam communius in praxi obtineat, & nemo forſan diffitebitur, vel e ſola Legum Imperii generali locutione Nobilitatem Immediatam eousque fundatam habere intentionem, donec evidentiſſime probetur contrarium &c.

III.

De Testamentorum ex Jure Naturæ efficacia.

§. I.

LOnga est Politicorum querela, Testamentis maximas in respublicas induci confusiones, quibus succenturiati alii, quod priores inconveniens statui tantum, etiam ut injustum, & nullo rationis principio subnixum defenderunt, inter quos mihi tantum nominandus, totique causæ advocatus constituendus est doctissimus Coccejus in integra dissertatione de Testamentis Principum, cujus principiis aliquo modo jam satisfecit Budæus in dissert. de Testamento Caroli II. Hispan. Regis, inserta Selectis Juris Nat. & Gentium, solide quidem pro more, sed concise nimis & obscure, ita ut multis præter vulgaria nihil dixisse videatur; igitur quid de hac re cogitaverim, distincte, forsan nec sine usu, recensebo.

§. II.

Cum de Testamentis, prout apud nos in usu, & ex Romanorum placitis ad nos translata sunt, controversia vertatur, optime dissentientes, & imprimis Coccejus

l. c. contra Grotium monuerunt, non aliam, quam in fori & Scholarum tritura receptam definitionem posse supponi, quæ hæc est: Testamentum est declaratio voluntatis nostræ circa successiones in bona post mortem, ante mortem tamen perpetuo mutabilis, firmumque jus demum ab excessu disponentis conferens. Licet enim Testamenti nomen pro lubitu circumscribere & definire potuerit Grotius, attamen ita minime nostra & vulgaria defendit Testamenta, sed ea tantum, quæ animo proposuit suo.

§. III.

Opus quidem haud foret, ex historia quædam afferri, utpote quæ justitiæ valori neque addit aliquid, neque detrahit, cum enim apud omnes inter alienandi modos recenseatur testamentum, solers autem hominum industria varios semper producere soleat, novitas testamentorum efficere haud posset, quo minus ea Jure naturali nitantur, interim tamen, ne quod valde respicere solent alii, omisisse videar, nonnulla, sed extremis tantum digitis, tangenda erunt. Et initio negari nequit, magnam olim successionis legitimæ habitam fuisse rationem, id quod de Judæis Seldenus, de Græcis Plutarchus, de Germanis Tacitus, latiusque Schilterus, &

quod

quod mireris de ipſis Romanis Bynckershœck atteſtantur, raræ ideo exhæredationes, raræ de avita hæreditate lites, omnia ordinem ſequebantur perpetuum, fixumque, atque id, quod natura commendat, in mores, vel legem transmutatum eſt, ſcilicet, ut Parentes liberorum etiam in futurum & poſt mortem curam geſſerint.

§. IV.

Sed varia tamen hic moneri debent; Primo, quod attinet Judæos, initio eos liberam habuiſſe teſtamenti factionem, non traditio tantum antiquiſſima, cujus teſtimonium luculentiſſimum eſt Noachi (fictum licet) teſtamentum, ſed & aliud ſuccurrit argumentum, quod Seldeni, quam meis exhibere malo verbis, ita ille de ſucceſſionibus ad Leges Hebræorum Cap. XXIV: ante Legem de hæreditatibus latam, hæredem inſtituere fas erat, etiam, qui ſanguine conjunctus non erat, quod diſcitur ex Gen. XV. 3. ubi Abraham: en mihi non dediſti ſemen, & ecce filius domus meæ hæres meus eſt. Quod de Eleazare Damaſceno, Abrahæ Oeconomo, pronunciatum a Numine quidem interdicitur, non quod ejusmodi inſtitutio alias illicita eſſet, ſed quod ab Abraha eam fieri noluit. Poſtquam autem ſapientiſſimo

Judæorum Legislatori placuit, quovis modo duodecim tribuum confusionem prohibere, singulosque suos perpetuo observare fines, eumque in finem Numer. XXXVI, 7. ne bona Tribui semel acquisita sive nuptiis, sive hæreditate in alium transferrentur, interdixit, etiam necessario locus legitimæ successioni ex regula erat relinquendus, ne scilicet ullus de proprietate turbaretur, quæ verba Ezechielis Cap. XLVI, 18. conf. Num. XXVII. 7. seqq. Tobiæ VII, 14. & quamvis secundum communem formulam unicuique facultas esset substantiam suam donare, cuicunque voluerit, omnia tamen ad progeniem, atque tribus suas redire Jubilæo debuere Levit. XXV, 10. adeoque prohibitæ in Testamentis alienationes peculiaribus plane rationibus nitebantur, minime ea, quia inefficaces sua natura videbantur, adeoque nec in præjudicium Testamenti factionis allegandæ sunt; quod insuper etiam ex eo probatur, quia exhæredatio patri permittebatur, an a Deo, quod Rabbini e Deuter. XXI, 16. eliciunt, an interpretibus indoctis, nobis, qui de facto loquimur, perinde esse potest, si modo hæreditas uni ex iis, ad quos jure communi spectabat, relinquebatur. conf. Selden. l. c. cap. XXIV.

§. V.

§. V.

Sed nondum abſolvi, conſtat, etiam poſt introductam legitimam ſucceſſionem Patri liberum fuiſſe *α*) portiones, quascunque libuerit, filiis ſuis aſſignare, & quidem *β*) quoque inæquales, id quod ſe feciſſe Jacobus ipſe Geneſ. XLVIII. comm. 22. fatetur, adeoque Lex divina aliquid tamen proprietati & diſpoſitioni dominorum reliquit, tantum jam quæritur, an hæc diſpoſitio teſtamentum dici queat? Pufendorffius de Jure Nat. & Gent. L. V. Cap. X. §. 5. aliique negant, actusque inter vivos, mutuo conſenſu abſolutos, fuiſſe defendunt, quibus ego quidem non accedo, quomodo enim probabitur, diviſionem Patriarcharum factam fuiſſe ea mente, ut acceptaretur in continenti a filiis? vel filios eam ſtatim ſciviſſe, & acceptare potuiſſe? vel præſentes acceptaſſe? e Sacris paginis nihil horum conſtat, & contrarium monente etiam Barbeyracio ad d. l. valde eſt probabile. Licet enim Pufendorffius l. c. opinetur, priſtini orbis homines ob ſobriam vitæ rationem, non tam ſubito vita functos fuiſſe, adeoque irrevocabiliter potuiſſe vivos adhuc bona ſua per donationem transferre, id tamen ſuave ſomnium rem nondum conficit; concedo enim, nonnullos lenta morte

periiſſe, quid ſi autem in morbum incidere, quem fatalem rati, de ſuis diſpoſuere irrevocabiliter, ſed præter ſpem reſtitutis undenam vivendum fuit? quis autem caſus poſſibilitatem negabit? & quid multis opus? Siracides optime rem totam conficit, ipſe Cap. XXXIII. v. 24. ſuadet, adventante vitæ fine, ut hæreditatem dividas, quid autem per diviſionem hæreditatis intelligat pronum eſt, ex antecedentibus 20. & ſeqq. verſiculis intelligere, ubi ſollicite monet, ne quis durante vita ſua bona aliis concedat ſive cognatis, ſive amicis, melius eſſe dominum manere ſuorum, quam precario quædam ab aliis ſumere; an ergo, qui alienationem in immediate antecedentibus diſſuadet, eam in ſequentibus commendabit? minime, hic potius teſtamenti factionem, & alienationem a momento demum mortis valituram reſpicit. Sed objicis: probe hæc alio modo conciliari poſſe, ſi dicatur, hic ſermonem de morituro, ibi de ſano eſſe. Reſp. contrarium dicit verſ. 21. ubi: quamdiu vivis & ſpiritum trahis &c. deinde non ignoravit Siracides, certo neminem ſcire vitæ exitum, huic ſerum, tardumque, illi maturum atque inopinatum, quomodo igitur verba ejus de puncto accipies? ſin intervallum concedis, neceſſario diſ-

poſi-

poſitionem ultimum effectum demum poſt mortem habituram concedis, adeoque teſtamentum Judæis non ignotum fuiſſe vides,

§. VI.

De Græcis Grotius de Jure Belli & P. L. II. Cap. VI. multa Sophoclis, Euripidis, Homeri &c. loca affert, quibus antiquitatem teſtamentorum defendere vult, ſed parum omnia momenti habent. Igitur certiora videbimus. Solonem deficientibus liberis permiſiſſe teſtamenti factionem e Plutarcho notum eſt, ſed quæritur an talis, quod nos §. 2. definivimus? id enim a nonnullis negari video, quia Plutarchi verba etiam commode de diſpoſitione inter vivos facta intelligi queant; ſed ut alia, imprimis contortam loci Plutarchi in quæſt. Rom. quem Meurſius de Themide Attica Lib. II. Cap. XIII. aducit, interpretationem omittam, item ea, quæ ſecundum regulas probabilitatis §. 5. diſſerui, arbitror optimam interpretationem e praxi deduci poſſe, hæc autem teſtatur, non revocabiles tantum ante mortem, ſed etiam ex una tantum parte ob defectum acceptationis perfectas fuiſſe has diſpoſitiones, prout innumeræ formulæ apud Diogenem Laertium in vitis Philoſophorum teſtantur. Ita Arceſilaus

teſtamenti, quo Pyladem fratrem hæredem inſtituit, tria confecit exemplaria, tribus diverſis locis depoſita. vid. ejus vita L. IV. ſegm. 43. & imprimis 44. ubi literæ ad amicum Thaumaſium, adde Teſtamentum Ariſtotelis L. V. Segm. 12. ſeqq. ubi plures inſtitutiones & ſubſtitutiones, ſolaque teſtatoris voluntas conſpicitur, utpote maximam partem de Nicanore abſente & Herpylide impubere diſponentis. Eadem & planiora in Theophraſti teſtamento L. V. ſegm. 51. ſeqq. leguntur, imprimis ubi hortum ſuum, ædesque ei adjacentes jure fideicommiſſi perpetui omnibus iis, qui voluerint in eo una vacare literis, atque ſimul philoſophari (adeoque incertis & non acceptantibus) legavit, gemina in Lyconis teſtamento L. V. ſegm. 70. invenies, tranſeo Stratonis, Epicuri, aliaque pari calculo digna, & in quibus (verbis Coccei de Teſtament. Principum P. I. §. 2. utor) omnia vocibus βούλομαι, δίδωμι, aliisque verbis imperativis & diſpoſitivis ſolius teſtatoris abſolvuntur. Quis autem ubi acceptatio facta nondum eſt, revocandi & mutandi facultatem in dubium vocabit?

§. VII.

Satis etiam laxa fuit apud Græcos teſtandi libertas, conſtat enim e Dionyſio

Hali-

Halicarnaſſ. facultatem habuiſſe Patres, filios contumaces e domo pellere, & exheredare, Antiqt. Rom. L. II. pag. 96. edit. Frid. Sylburg. ſed multo tamen laxior apud Romanos cum poteſtate patria invaluit, etenim Romulus perſpectis vicinorum, præprimis Græcorum Legibus, de Parentum jure in liberos probe ſenſit, eas in Latio haud ſuffecturas eſſe, quod ferociæ juvenili molliores eſſent, quod de Græcis jam annotavit Dionyſ. Hal. d. l. igitur illimitatam patribus poteſtatem conceſſit, quam idem d. l. late perſequitur, add. L. VIII. p. 546. & 547. ubi, apud Romanos, ait, filiis nullæ ſunt poſſeſſiones propriæ vivis parentibus, ſed licet Patribus & pecuniis filiorum, & corporibus facere, quod lubet; Hinc ſine dubio fluxit Lex illa XII. Tabb. quam Cicero L. II. de Invent. ſic effert: Paterfamilias uti ſuper familia, pecuniaque ſua legaverit, ita jus eſto. Si igitur de rebus filiorum liberrime diſponere potuerunt, quanto magis de propriis, adeoque legitimæ ſucceſſiones apud Romanos ab initio ſubſidiariæ tantum, patriaque poteſtate inferiores fuiſſe videntur, ſecus ac Doctiſſimus Bynckershœck in Obſerv. L. II. Cap. I. & II. arbitratur, ut tamen hæc immenſa poteſtas aliquos minimum can-

cellos

cellos experiretur, familiarum & reipublicæ utilitati aliquo modo per introductionem ambagum, multarumque ſolennitatum conſulere voluere Romani, hinc teſtamenta calatis comitiis, in procinctu, per æs & libram, coram teſtibus condi ſolita; hanc concludendi rationem, ſi ſciviſſent & iniiſſent moderni nonnulli, forſan alia omnia de antiquo Romanorum ſuccedendi modo protuliſſent.

§. VIII.

Cæterum etiam ex aliarum Gentium hiſtoria verorum teſtamentorum exempla varia, præter ea, quæ Coccejus in d. Diſſert. P. I. §. 2. tetigit, producere poſſem, ſi quidem chartæ, Lectorisque patientiæ parcere nollem, ad alia me jam vocat propoſiti ratio, ſcilicet ad Germanorum inſtituta, quæ ſolidiſſime excuſſit Schilter in Exerc. ad Pand. item in Inſt. Jur. Publ. I. IV. Hertius in Notit. Vet. Germ. I. III. I. & in Not. Vet. Franciæ III. ult. & noviſſime Dittmarus ad Tacitum de Mor. Germ. aliique, quorum ſcrinia non expilor, arbitrati nimirum ſunt Germani cum Publ. Syro

Hæredem ferre honeſtius, quam quærere, &
magis hæredem fidum naſcier, quam ſcribi.

ſimplexque illorum vivendi ratio, vitiorum,

rum, inque cognatos odii penitus ignara, ingratitudini, adeoque etiam teſtamentis locum vix reliquit, hinc quos Deus & natura vocavit, ſucceſſores videre maluere, quamvis negari nequeat, fuiſſe apud eos morem, quo extraneis hæreditas relinqui potuerit, ſed qui conventione & pactis inter vivos magis abſolvebatur, quam ſcrupuloſa, anxia & longe ultra Germanorum captum atque indolem poſita teſtandi ſolennitate, hinc illa Danorum Scotatio, cujus cap. 2. X. de conſuetudine mentio, hinc adſattiniendi & Werpiendi ritus, de quo du Fresne in Gloſſario hac v. hinc adoptiones in hæredem ſecundum Legem ripuariam, de quibus Leg. Ripuar. Tit. 48. adde formulas Marculphi, Capitularia Francorum apud Stryck de Succeſſ. ab Inteſt. Diſſ. VIII. cap. I. §. 4. Tandem novioribus temporibus ſive Clericorum aſtutia, de qua conf. Bodinus de Rep. L. V. ſive imitatione Romanorum, ſive alia ratione factum eſt, ut teſtamentis pleniſſimus vigor conciliaretur, num prudenter, an ſecus, alii viderint, multa equidem in utramque partem in infinitum afferri poſſunt, & afferuntur ſtudio plerumque cauſæ, mihi videtur communis rerum humanarum ſors eſſe, ut nihil ex omni parte beatum

exiſtat,

existat, hinc eadem, si non majora incommoda successioni legitimæ mihi adhærere videntur, & dies docet; sed non hic est de eo differendi locus.

§. XI.

Tandem, quo destinavi eundum & seria meditatione pervidendum est, annon ipsa Naturæ lex testamentis valorem addat, ita ut hæres in iis designatus etiam citra auxilium Legum civilium hæreditatem cernere queat. ad quod affirmative respondeo, utque mens atque ratio mea curatius intelligatur, pauca de natura dominii, modorumque alienandi præmittam. Cum dominium communioni sit oppositum, hacque ob vitia naturæ humanæ derelicta, istud, permittente ita supremo Numine, cœperit, facile patet, istius principalem virtutem consistere in facultate excludendi alios plenissime a re nostra, quo respectu proprietas etiam appellari solet.

§. X.

Hæc facultas radicaliter in animo tantum consistit, quo dicto modo aliquid habere volo & possum, quam ob causam ens morale dicitur, & quia tertius ideo dominium habere negatur, quia a me excludi vult & potest, evenit, ut, si ego volo hunc animum abjicere in ipsius gratiam, ipse

ipſeque eum ſumit, dominus eſſe incipiat, huncque ultimum actum alienationem dicere conſuevimus; nemo autem dubitat, ratam eſſe debere domini voluntatem eo modo de re propria diſponentis, ſive de tota, ſive de particula, ſive pure, ſive ſub conditione, & tertium præter id, quod mea voluntate accepit, aliud jus in rem meam non habere.

§. XI.

Igitur in alienatione voluntas unice reſpici debet, quam actus externi et phyſici ſequuntur, hinc quam primum animum abjicio, dominus eſſe ſtatim deſino, fit hoc autem duplici modo α) ſi dominium habere amplius nolo, ſed nec id tamen ulli confero, quod derelictio dicitur, quæ iterum naturaliter fit ſolo animo, quem poſſeſſio ſponte ſequitur, neque enim poſſidet, qui poſſidere non vult, etiamſi forſan rei adhuc corporaliter inſiſtat, nam actus hic nudi facti effectus morales producere nequit, hinc ſtatim a declaratione voluntatis inſ. res ejus conditionis eſſe incipit, ut occupari a quovis poſſit.

§. XII.

β) Ut ego habendi ulterius animum in alterius gratiam deponam, qui modus transferendi dominium derivativus eſt, in quo duo conſiderandi ſunt actus α) domi-

ni

ni rem ſuam alienare β) alterius, eandem rem acquirere volentis. de hoc prius. ſine animo habendi nihil haberi, ſeu invito nihil acquiri, quis ſanæ mentis negat? acquirentis enim ratione in modo derivativo non ſecus eſt, ac in occupatione, quia in utroque caſu prima vice res ab hoc acquiritur, ſed quis in occupatione ſine animo acquiri putabit, acquiſitio eſt actus moralis, adeoque non niſi volentis conf. §. 10. hæc animi declaratio in acquiſitione derivativa JCtis dicitur acceptatio, Ciceroni acceptio; Igitur antequam accedat hæc acceptio, nihil acquiſitum eſt ab altero, ſed in ſuſpenſo ſunt omnia.

§. XIII.

Ex parte domini iterum animus facultatem ſuam in alterum transferendi adſit, neceſſe eſt, quia pari ratione invitus nihil amittit, declaratur autem hic animus ſive verbis, ſive factis, utraque voluntatem indicant, illa directe, hæc per conſequentiam, implicat enim rationale eſſe, & ſine fine agere, igitur omnia facta hominum (ſeria) fiunt propter finem, qui ſi ad alienationem tendit, prout e circumſtantiis logice debet colligi, alienationis animum adeſſe, nemo non mecum concludet, hocque eſt fundamentum præſcriptionis

inter

inter gentes, & aliquo modo ſucceſſionis ab inteſtato, de quo alibi agendum.

§. XIV.

Reliquorum hominum jus in illa re nullum, quippe qui per eſſentiam dominii excluduntur, adeoque etiam impediendi jus non habent.

§. XV.

Jam finge Cajum Titio litteris deſtinaſſe ædes ſuas. Cajum deſtinare eas poſſe dicta ſatis evincunt, Sempronius id impedire nequit. quid Titius? antequam accepit literas, & poſt eas donationem, nihil acquiſivit vid. v. 12. ſed mortuus eſt ante acceptationem Titius, ad hæredes nihil transmittit, tantundem enim ipſe habuit, hactenus ergo Titii ratione in ſuſpenſo eſt donatio.

§. XVI.

Quid vero ratione Caj.? deſtinavit ædes ſuas Titio, ſed acceptatio adhuc deficit, eſt ergo nulla ejus obligatio. Finge Cajum donationis hiſce in terminis pœnitere, an injuriam Titio illatam putares? minime, jus enim nondum habuit; an Sempronio? ſed quid ad hunc res Caj. an ſocietati humanæ? nequaquam; Non enim hæc læditur niſi factis injuſtis, injuſtitia naſcitur ex injuria, injuria autem hic ob juris, uti modo dictum, nulla apparet;

